Athenaei Deipnosophistarum libros qui in epitomen redegit grammaticus saeculi ut videtur decimi undecimive utrum ipsum quem nunc tenemus codicem Marcianum (A) excerpserit tum quidem temporis quam hodie integriorem an alium librum manuscriptum Marciano consimilem, ita non convenit inter viros doctos, ut prioris sententiae patroni suasoresque exstiterint et Cobetus *Novarum Lectionum* p. 130 et Guil. Dindorfius *Philologi* vol. XXX p. 74 et 79, alteram amplexi sint et Rudolfus Schoell *Hermae* vol. IV p. 160 et Georgius Kaibel *Observationum criticarum in Athenaeum* (Rostochii a. 1883 emissarum) p. 4. quam ad quaestionem solvendam symbolam quantumvis parvam ita contribuere placuit, ut intra unius libri fines me continens inter se conferrem et Marciani codicis et epitomes lectiones idoneas non omnes sed luculentiores. elegi vero librum Athenaei tertium, quem ad codicis Marciani fidem contuli ipse Venetiis auctumno a. 1883, epitomes autem adhibui apographon codicis Laurentiani pl. LX 2 (E), quod a se a. 1868 confectum comiter mihi commodavit Rudolfus Schoell; alterius epitomes codicis Parisini 3056 A (C), cuius ob temporis angustias nova collatio parari non potuit, lectiones e Dindorfii apparatu petendae erant. neque vereor ne cui acta videar esse acturus, cum is qui nuper de epitomes indole ac ratione ea qua adsolet accuratione et sagacitate disseruit, Georgius Kaibel, veram quam ipse tuetur sententiam — videlicet epitomen ex libro a Marciano diverso oriundam esse — pro explorata posuerit neque argumentis firmare opus duxerit: cuius commentationem nunc ita supplere in animo est,

Digitized by Google

ut ea tantum examinentur, quae ad epitomes originem pernoscendam facere videantur.

Ac primum quidem epitomen non pendere a Marciano iam inde apparet, quod contra hunc codicem triginta ad minimum locis per hunc unum librum veram lectionem ita servavit epitome, ut consentaneum sit hanc non per coniecturam esse effectam, sed ex archetypo descriptam. incipio a tribus locis cognationis quodam vinculo coniunctis:

III p. 83 F (sunt verba Theophrasti *hist. plant.* IV 4, 3) *τὰ μὲν γὰρ ἀφῄρηται, τὰ δ' ἀνθεῖ, τὰ δ' ἐκπέττει.*
A *ἐκπίπτει*

III p. 88 C (ex Aristot. *hist. anim.* V 12) *οὗτοι δὲ μάλιστα μὲν ἐν ταύταις ταῖς ὥραις ἀεί τε ἰσχύουσι καὶ μάλιστα ἐν πανσελήνοις καὶ ἀλεεινοῖς ἡμέραις.*
A *καὶ το πλέον*

III p. 97 A (qui est locus Platonis *Protag.* p. 397 C) *καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' αὑτῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ κτλ.*
A *δι' ἀντῶν συνιέναι ἐν τῶι τοπωι*

his locis, cum epitomes lectionibus patrocinentur codices vel Theophrasti vel Aristotelis vel Platonis, verum coniectando reperiri non potuisse facile concedetur, ipsos vero Theophrasti Aristotelis Platonis libros ab epitomatore ad emendandam archetypi lectionem adhibitos esse nunquam credet is, qui quanta festinatione in reliquis ille rem egerit memoria teneat: qui adeo non curavit locorum citatorum integritatem, ut multos ne cum sensus quidem detrimento in brevius contrahere dubitaverit compluriensque vel testium nomina inter se confuderit; veluti per excerpendi socordiam III p. 84 BC contaminavit Antiphanis Eriphique fragmenta, III p. 90 A Eupolidi tribuit quae sunt Aristophanis, huic quae Pherecratis, III p. 123 E Alexidis versus transtulit ad Sophilum, quippe cuius mentio paullo praecesserit.[1]) talem hominem ipsos scriptores ab Athenaeo laudatos adiisse prorsus improbabile est: itaque nil restat, nisi ut in archetypo veram lectionem, quae in A corrupta est, legisse

[1]) quod III p. 82 C Androtionis fragmentum insertis *καὶ πάλιν* vocabulis in duo dirimitur haud scio an non epitomatoris culpa acciderit, sed iam exstiterit in archetypo.

Digitized by Google

putetur. quod idem etiam in hos quos deinceps compono locos cadit:

III p. 75 A *μικρὸν δὲ αὐτὸ εἶπε διὰ τὸ μὴ μέγα εἶναι τὸ φυτόν.*
A *φυτὸν* omisso articulo.

III p. 79 B *ἀδύνατον δ' ἦν τοῦτο συμβαίνειν διαμενόντων καὶ μὴ ταχὺ διαλυομένων τῶν σύκων.*
A *τῶν σωμάτων.*

III p. 81 B *τὰς δὲ δυνάμεις ἔχει τῶν ὑγρῶν τὰ μὲν ὀξέα καὶ μήπω πέπονα στρυφνοτέρας καὶ ποσῶς ὀξείας κτλ.*
A *πόσεως.*

III p. 83 F *τῶν δ' ἀνθῶν ὅσα ἔχει καθάπερ ἠλακάτην ἐκ μέσου ἀνέχουσαν.*
A *ἐκ μέσου τινὰ ἔχουσαν.* verum fuerit id quod coniecit Schweighaeuserus *ἐκ μέσου τιν' ἀνέχουσαν* (Theophr. *ἐξέχουσαν*).

III p. 86 A (Sopatri sunt versus)
ἀλλ' ἴσχε, τελλίνης γὰρ ἐξαίφνης μέγας
ἀκοὰς μελῳδὸς ἦχος εἰς ἐμὰς ἔβη.
A *μέ τις.*

III p. 98 D *καὶ τὰς τῶν μυῶν διεκδύσεις* (sic C; *διεκδώσεις* E) *μυστήρια ἐκάλει ὅτι τοὺς μῦς τιρεῖ.*
A *δ' ἐκδύσεις.*

III p. 107 C (in fragmento Alexidis) *ἐνθυμούμενος*
ὅτι δεῖ γυναικὸς ἐπιφερούσις δακτύλους
ἁπαλοὺς ὑπ' ἀκάνθις μηδὲ ἓν τούτων παθεῖν.
A *δή.*

III p. 107 C (in eodem fragmento)
οἰμώξεται γὰρ νὴ Δί'· ἀλλ' ἐγὼ σοφῶς
ταῦτ' οἰκονομήσω.
A *νὴ δία λέγω σαφῶς.*

III p. 121 C *γίνεται δ' εὔστομα μετὰ ἁλῶν σπεσθέντα.*
A *μετὰ ἄλλων.*

III p. 122 D (sunt versus Timothei.)
καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσω.
A *καὶ τα.*

qua in enumeratione omisi et meras accentuum orthographiaeque correcturas et omnia, quae aliqua ratione quasi aut sponte aut per coniecturam e Marciani lectione nata possint in suspicionem vocari certaque solummodo proposui exempla ex ampliore numero

Digitized by Google

selecta. sed his si fieri potest vel certiora argumenta ex iis locis sumuntur, ubi errores in epitome obvii ex A nulla ratione queunt derivari.

III p. 122 B si leviora menda tacite correxeris haec habentur in A: *Κηφισόδωρος γοῦν ὁ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος μαθητὴς — λέγει ὅτι εὕροι τις ἂν ὑπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν — πονηρῶς εἰρημένα, οἷα παρὰ μὲν Ἀρχιλόχῳ τὸ πάντ' ἄνδρ' ἀποσκολόπτειν* (l. *ἀποσκολύπτειν*), *Θεοδώρῳ δὲ τὸ κελεύειν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον, Εὐριπίδην τε* (l. *Εὐριπίδῃ τε*) *τὸ τὴν γλῶτταν ὁμωμοκέναι φάναι, καὶ Σοφοκλεῖ τὸ ἐν Αἰθίοψιν εἰρημένον κτλ.* iam vero haec sic exstant in E: *Κηφισόδωρος δὲ ὁ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος μαθητὴς φησὶν ὅτι εὕροι τις ἂν ὑπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν — πονηρῶς εἰρημένα, οἷον παρὰ Ἀρχιλόχῳ τὸ πάντ' ἄνδρ' ἀποσκολύπτειν* (*υ* ex o correctum), *Θεόδωρος δὲ τὸ κελεύειν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον, Εὐριπίδῃ δὲ τὸ τὴν γλῶσσαν ὀμωμοκέναι φάναι, Σοφοκλῆς δὲ τὸ κτλ.* quid factum sit apparet: epitomator cum in enumerandis testibus hoc novaret, ut inde a Theodoro scriptorum nomina non per dativos, sicuti factum est in archetypo, sed per nominativos exprimeret, non constanter hoc fecit, sed in Euripidis mentione ad dativum quem legerat *Εὐριπίδῃ* relapsus est; quod facere non poterat is qui ipsum Marcianum librum excerpebat, ubi hoc ipsum *Εὐριπίδῃ* scribae errore abiit in *Εὐριπίδην*.

III p. 104 B . . . *τὴν Ἀρχεστράτου γαστρολογίαν, ἣν πάντες οἱ τῶν φιλοσόφων γαστρίμαργοι Θεογονίαν τινὰ* (leg. *Θέογνίν τινα* ex emendatione Welckeri) *αὐτῶν* (l. *αὑτῶν*) *εἶναι λέγουσι — πρὸς οὓς καὶ Θεόγνητος ἐν Φάσματι κτλ.* sic A, quae in epitome valde contracta leguntur hunc in modum: *τὴν Ἀρχεστράτου γαστρολογίαν· φησί που Θέογνις κτλ.* Theogneti loco ut nominaretur ab epitomatore Theognis non esse aliam ob causam factum, quam quod oculus excerpentis ad Theognidis nomen duobus versibus ante commemoratum aberraverat, facili negotio perspicitur: huius vero erroris in Marciano ansa nulla data est, utpote ubi id quod verum est *Θέογνιν* Welckeri demum acumen elicuerit ex corrupta lectione *Θεογονίαν*.

III p. 97 B locum Platonis *Protag.* p. 347 CD, qui est de conviviorum oblectamentis, haec excipiunt verba Athenaei in A: *τοῦτο δ' ὑμεῖς ποιεῖτε, ὦ Κύνουλκε· πίνοντες, μᾶλλον δ' ἐκπίνοντες, αὐληπρίδων καὶ ὀρχηστρίδων δίκην ἐμπορεύεσθε τὴν διὰ τῶν λόγων ἡδονήν, ζῶντες κατὰ τὸν αὐτὸν Πλάτωνα, ὃς* (sic recte A) *ἐν τῷ Φιλήβῳ*

Digitized by Google

φησίν, οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλά τινος πλεύμονος ἢ τῶν ὅσα θαλάττια μετ' ὀστρέων ἐμψύχων ἐστὶ σωμάτων· quibus haec respondent in EC: (*σημείωσαι ὅτι διαφέρειν ἔοικε παρὰ τῷ ῥήτορι τούτῳ τὸ πίνειν τοῦ ἐκπίνειν· εἶναι γὰρ ἐκπίνειν καὶ τὸ πάνυ πίνειν.*) *ὃς καί φησι τοὺς πίνοντας οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλὰ τινὸς πνεύμονος ἢ τῶν ὅσα θαλάσσῃ σώματα ζῇν.* ubi ea quae ego cancellis saepsi atque absunt ab A apparet esse interpretamentum ad Athenaei verba *πίνοντες μᾶλλον δ' ἐκπίνοντες* pertinens, quod in archetypo aut margini erat adscriptum aut iam in ipsum verborum ordinem irrepserat, ab epitomatore vero una cum ipsis rhetoris verbis excerptum est. quod glossema ne quis ab ipso epitomatore additum esse arbitretur cavetur eo, quod is interpretamenti addendi nullam habebat causam, cum ea verba, quorum explicandorum gratia ista addita sunt, ne recepit quidem in epitomen. itaque, si quid video, certissimum tenemus indicium codicis, quo epitomator usus est, a Marciano diversi; glossis enim instructus erat, quarum in A nec vola nec vestigium exstat. cuius generis alterum quoque exemplum addi potest vel luculentius. III p. 83 A in epitome inter Aristophanis grammatici fragmentum quod est de coccymelis Jubaeque regis de citrio expositionem nihil legitur nisi haec: *παροιμιῶδες ἐστὶ τὸ ὥσπερ εἰς αἶγας ἀγρίας ἀποπέμπων ἡμᾶς*, quae quid sibi hoc loco velint vix intellexeris. iam vero cum in A ita scriptum sit: *Μυρτίλος μὲν γὰρ ἔφασκεν, ὥσπερ εἰς αἶγας ἡμᾶς ἀγρίας ἀποπέμπων τοὺς ζητοῦντας, Ἡγήσανδρον τὸν Δελφὸν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν αὐτοῦ* (scil. citrii) *μνημονεύειν, τῆς* (δὲ add. Schweigh.) *λέξεως τὰ νῦν οὐ μεμνῆσθαι* videmus quid rei sit: in pleno Athenaei codice, quem excerptor usurpavit, cum his quae supra posui verbis scholion additum fuerit *παροιμιῶδές ἐστι τὸ ὥσπερ εἰς αἶγας ἀγρίας ἀποπέμπων ἡμᾶς*, hoc glossema descripsit epitomator male sedulus, non descripsit quibus illud explicandis inserviebat.

Iam vereor ne longus fuerim in re aperta: nam ea quae composui ex A derivare atque explicare vix quisquam ausit. unum addo idque memoratione quam maxime dignum. etenim cum in E per errorem scriptum sit III p. 101 B *ὀψοδαίλαλος*, p. 107 D *πελιανὸν*, haec elucet nulla ratione oriri potuisse ex iis quae in codice Marciano litteratura minuscula exarato recte exhibentur *ὀψοδαίδαλος* et *πελιδνόν*, sed ex scriptura unciali *ΟΨΟΔΑΙΔΑΛΟΣ* et *ΠΕΛΙΔΝΟΝ*. quid igitur? librum A descriptum esse ex exemplari unciali litteratura exarato dudum perspexit

Digitized by Google

Cobetus *Nov. lect.* p. 130 facileque probatur crebris erroribus quales sunt v. gr. III p. 85 F *ἐκλεξάμενον*, p. 110 F *ἀντῖμι*, p. 112 E *ἐδώδια*, p. 113 B *καὶ βανίκιος*, p. 114 E *βλωμιλίους*, p. 116 B *οὐ κακὰ ἐς*, p. 123 E *μέγα*, ubi genuinae lectiones *ἐκδεξάμενον*, *Αὔγῃ*, *ἑδώλια*, *κλιβανίκιος*, *βλωμιαίους*, *οὐκ ἀκλεὲς*, *μετά* sine difficultate restituuntur, simulatque archetypum elementis uncialibus constitisse memineris. id vero exemplar, e quo epitome nostra compilata est, Marciani simillimum fuisse ex innumeris locis, ubi communi errore insignes sunt et Marcianus et epitomes libri, ita patet, ut rem conclamatam exemplis illustrare non opus sit. itaque unum statuamus de duobus necesse erit, videlicet ut aut ex archetypo litteris maioribus perscripto (α), qui Marciani pater est, fluxerit alter codex integrum Athenaeum continens Marcianique gemellus atque inde epitomen compilaverit excerptor, aut ad ipsius libri α fidem epitome (ε) facta sit. e quibus utrum verius videatur inde pendet, quomodo iudices de interpolationum vestigiis in epitome haud raro obviis quae indicavit Kaibelius *observ. in Athen.* p. 4, *de Athenaei epitome* p. 5 sqq.; inter quae cum multa sint id genus interpolamenta, qualia fere sponte pullulare solent inter excerpendum et compilandum, tamen reperiuntur, quae altius petita videantur, quam quae ab epitomatore festinante et sententiae verborumque pariter incurioso profecta esse facile tibi persuaseris: veluti quae III p. 113 C interpolata esse demonstravit Kaibelius. quod qui mecum sentit — nam audacius affirmare nolim — harum interpolationum originem potius ad librum inter α et ε intermedium (β) rettulerit, ita ut hac imagine codicum cognationes illustrentur:



de epitomes E et C codicibus hoc iam ex iis, quae ex C enotavit Ioannes Schweighaeuserus, videtur elucere, neutrum librum ex altero esse descriptum; quod denuo collato codice Parisino

Digitized by Google

clarius, opinor, patebit. nunc hoc unum adnotasse ex re fuerit, requentes esse in E litterarum *β*, *κ*, *μ* inter se commutationes (veluti III p. 82 C *βαττιανὰ*, p. 86 C et F *στραμίλους* vel *στραμίλους*, p. 116 F *κίβοισι* pro *ματτιανὰ*, *στραβίλους*, *βίκοισι*) idemque nonnunquam etiam ex C adnotari (III p. 82 C *βαττιανὰ* al.): unde hoc iure colliges codicis *ε* similem fuisse scripturam atque libri Marciani, in quo has easdem litteras *β*, *κ*, *μ* simillimae inter se esse formae recte adnotavit Rudolfus Schoell *Hermae* vol. V p. 476. —

Digitized by Google

DE ETRUSCORUM DEIS CONSENTIBUS QUI DICUNTUR

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHMEISSER

Docebatur in libris Etruscorum fulguralibus, quos Caecina potissimum memoriae tradidit et quorum maiora quaedam fragmenta cum ab aliis tum a Seneca *Nat. Quaest.* II inde a capite 31 adservata sunt, fulmen a Iove mitti tresque illi dari manubias; primam monere et placatam esse et ipsius Iovis consilio mitti, secundam mittere Iovem quidem, sed ex consilii sententia: deos duodecim enim advocare eum; hoc fulmen boni aliquid aliquando facere, sed tunc quoque non aliter quam ut noceat: nec prodesse quidem impune; tertiam manubiam eundem Iovem mittere, sed adhibitis in consilium dis quos superiores et involutos[1]) vocarent; quam vastare, in quae inciderit et utique mutare statum privatum et publicum, quem invenerit; ignem enim nihil esse, quale fuerit, pati.[2])

Eis quae modo diximus tripartito divisis manubiarum generibus physicam quandam fulminum distinctionem respondere Muellerus[3]) quoque vidit. Distinguebant enim physici, in quibus inprimis Stoici, quorum philosophiae maxime operam dedisse Caecinam alibi satis demonstrasse mihi videor[4]). fulminum genera

[1]) *et involutos* Fickertus uncis seclusit.

[2]) Cf. Fest. p. 129.

[3]) Cf. Mueller-Deecke *Etr.* II p. 180.

[4]) V. dissertationes meas *Quaestionum de Etrusca disciplina particula* Vratisl. 1872 p. 24 et *die etruskische Disciplin vom bundesgenossenkriege bis zum untergang des heidentums* progr. d. königl. ritterakademie zu Liegnitz 1881 p. 13.

Digitized by Google

tria haec[1]): *quod terebrat, quod discutit, quod urit.* Quod terebraret affirmabant subtile esse et flammeum, cui per angustissimum fugam esse ob sinceram et puram flammae tenuitatem. Quod dissiparet conglobatum esse et habere admixtam vim spiritus coacti ac procellosi. Itaque illud fulmen per id foramen, quod ingressum esset, redire et evadere, eius late sparsam vim esse, rumpere icta non perforare. Tertium esse illud genus, quod ureret multumque terreni haberet et igneum magis esset quam flammeum. Itaque relinquere magnas ignium notas, quae percussis inhaererent.

Ea omnia Etruscis philosophisque communia esse Seneca ipse tradit l. l., sed etiam significationum tria illa genera, quae idem Caecina tradidit, et physicae et superstitiosae illi manubiarum divisioni respondisse sine ulla dubitatione confirmaverim. Genera enim fulgurum tria esse ait Caecina apud Senecam l. l. c. 39: *consiliarium, auctoritatis et quod status dicitur.*[2]) Consiliarium ante rem fieri, sed post cogitationem, cum aliquid in animo versantibus aut suadeatur fulminis ictu aut dissuadeatur; auctoritatis esse, ubi post rem factam veniat, quam bono futuram malove significet, status est, ubi rebus[3]) quietis nec agentibus nec cogitantibus quicquam fulmen quidem intervenit et aut minatur aut promittit aut monet. hoc monitorium vocat Caecina. Sic igitur fulminum tota illa divisio instituenda est: Prima manubia mittuntur terebrantia fulmina, significatione consiliaria, secunda discutientia quae sunt auctoritatis, tertia urentia quae sunt status; prima enim manubia, ut vidimus supra, monet et placata est et ipsius Iovis consilio mittitur, secunda quod mittitur fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter quam ut noceat, nec prodest quidem impune; quod fulmen est auctoritatis, vi discutiente est missum de duodecim deorum consilii sententia; tertium fulminum genus urentium tertia manubia adhibitis superioribus dis Iupiter mittit: iis fulminibus status mutatur privatus et publicus, unde status id vocatur fulminum genus. Itaque omnia tria fulminum genera monitoria sunt, sed ipsa monendi vi differunt.[4])

[1]) l. l. c. 40.

[2]) idem exhibet Serv. *Aen.* VIII 524.

[3]) pro *rebus* Madvigius *adv. crit.* II p. 442 *nobis* legi vult.

[4]) cf. Fest. p. 214: *ictum fulmen maioribus manubiis vinci.* cf. praeterea ibid. p. 129.

Digitized by Google

Iam vero caveas velim, ne illorum duodecim deorum numero immisceas eos, quibus interdum Tuscorum ipsorum confessione Iupiter potestatem iaculandi sui fulminis permiserit. Tuscorum enim litterae, ut ait Plinius *Nat. Hist.* II 138, novem deos emittere fulmina existimant eaque esse undecim generum, Iovem enim trina iaculari. Quae verba ita intellegenda mihi videntur: trina illa fulminum genera rursus sunt, quae supra iam cognovimus aut ab ipso Iove aut e duodecim deorum consilii sententia aut adhibitis in consilium superioribus dis mitti. Unde apparet in numero duodecim illorum deorum non fuisse novem illos, quorum mentionem facit Plinius quorumque nomina partim ab antiquis scriptoribus, inprimis a Vergilii interpretibus qui Servii nomine vulgo comprehenduntur, immixta plerumque Graecorum doctrina commemorantur. Hic statim adiciam errare Manilium, qui apud Arnobium *adv. nat.* III 38 novensiles deos novem autumat esse, quibus solis Iupiter potestatem iaciendi sui fulminis permiserit. *Novensiles* enim vel ut rectius dicam *Novensides* dei Sabinorum, non Tuscorum sunt.

Etsi autem Iupiter aliis quoque deis fulmina ut iacularentur interdum permisit, tamen eorum fulminum vis non erat consiliaria nec monitoria. Erat enim Iovis solius[1]) fulmen, de quo tantum, ut Servius ait *ad Verg. Aen.* X 177, futura cognoscerentur. Itaque in tribus tantum illis manubiis, quas Iupiter aut solus aut adhibitis in consilium dis duodecim illis aut superioribus dis iaculabatur, vis quaedam suasoria aut monitoria inesse putabatur.

Nec sane quicquam nostrae sententiae, quam modo explicavimus, nocet Servianus quidam locus *ad Verg. Aen.* I 42: *Cum Varro divinarum V quattuor diis fulmina adsignet, inter quos et Minervae, quaeritur, cur Minerva Iovis fulmen miserit. antiqui Iovis solius putaverunt esse fulmen. nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt, ita ut est Iovis Iunonis Minervae, sic quoque aliorum.*

Ac primum quidem quod Servius ait Varronem divinarum V quattuor diis fulmen adsignare, manifestum Servii vel librariorum errorem partim Merkelii *praef. in Ovid. fast.* p. CXV coniectura nisi facillime ita correximus, ut coll. Plin. *Nat. Hist.* II 138

[1]) pro *solius* codd. exhibent *filius*, falso ut apparet.

Digitized by Google

scriberemus: *Varro divinarum III*[1]*) VIIII diis.* In eis quae sequuntur perperam Muellerus ante *solius* addere vult *non* (*Etr.* II p. 86, 10); erat enim ut supra iam vidimus re vera solius Iovis fulmen, quod ut ita dicam interdum aliis quibusdam diis mutuo dabat. Quam sententiam vocabulum ipsum manubiae probare mihi videtur: erant enim Iovis tamquam imperatoris summi solius manubiae[2]). Tertius Servii error in eo apprehenditur, quod duodecim fulminum fuisse genera tradit: nam e Plinianis illis verbis undecim fuisse magna veritatis specie concludere licet.

Sed errorum multo maior et sane gravior cohors e loco Arnobiano *adv. nat.* III 40 in libros dd. vv. incurrit. Ait enim Arnobius l. l.: *Varro qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus caeli deos esse censet, quos loquimur, nec eorum numerum nec nomina sciri. hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una, sex mares et totidem feminas, nominibus ignotis et miserationis parcissimae; sed eos summi Iovis consiliarios ac participes existimari.*

Et Arnobium quidem hoc loco testimonia inter se confudisse, cum Varro qui sint introrsus atque in intimis penetralibus caeli dei nullos alios nisi superiores illos, e quorum consilio tertiam, ut ait Caecina apud Senecam, iaculatur manubiam, profecto intellegi velit, quorum numinum nec numerum nec nomina sciri, quis est qui non videat; quippe Arnobius, sibi ipse maxime contrarius, cum antea dixerit nomina et numerum istorum numinum ignorari, statim confidenter contendit sex esse mares totidemque feminas nominibus ignotis et miserationis parcissimae, Ex his Arnobianis satis confuse dictis id quidem mea sententia elucet, invenisse Arnobium apud Varronem aut Varronis quendam epitomatorem duo illa deorum genera, quibus in consilium adhibitis Iupiter manubiam secundam et tertiam miserit; ac priore quidem loco sermonem esse de superioribus, altero de duodecim illis, e quorum consilio secunda illa iacitur manubia, quae, ut ait Seneca l. l., boni aliquid aliquando facit, sed tunc

[1]) ita Merkelius l. l. pro codicum lectione *V* legere vult.

[2]) cf. Pseud. Ascon. *ad Cic. Verr.* p. 199: *manubiae sunt praeda imperatoris pro portione de hostibus capta;* Amm. Marc. XVII 7: *velut numine summo fatales contorquente mannbias.*

Digitized by Google

quoque non aliter, quam ut noceat; itaque sunt illi dei, ut recte addit Arnobius, miserationis parcissimae. Ea enim verba ut ad superiores referamus, sicuti Muellerus voluit, omnino fieri nequit. Nam tertia manubia, quam Iupiter e superiorum consilio iaculatur, nihil unquam prodest, sed vastat omnia, in quae incidit. Nomina autem duodecim illorum numinum nesciri recte Arnobius autumat, cum et Caecina nomina eorum non prodiderit et Martianus Capella I 41 de iisdem disserens nomina publicari secretum caeleste non admisisse contendat.

Quod ad Consentes et Complices illos attinet, equidem genuinam esse illam quandam Etruscae disciplinae doctrinam ut concedam, nullo modo adduci possum; rem enim concedo, nomen ipsum non concedo: Varroni errorem tribuo, qui cum in libris quibusdam Etruscis consilium illud duodecim deorum invenisset, sine ulla dubitatione Consentes eos nominari asseverat[1]); nec defuere, qui Varronis sententiam secuti etiam nomina Consentium, quae quidem secundum Etruscam disciplinam ignorabantur, eruere conati, Ennianis illis versibus (*Ann.* 63 V.) contineri pro certo affirmarent:

Iuno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars, Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Sed Muellerus quoque (l. l. II p. 84 sq.) dubitavit, num hi Etruscorum dei fuerint Consentes. Ceterum vir doctissimus et Etruscae religionis sane peritissimus et sagacissimus investigator eo loco mirum in modum dubius atque identidem sibi ipse contrarius haeret. Iuno enim et Minerva et alii quidam dei vel deae, quibus Iupiter sui fulminis iaculandi permisit interdum potestatem, non in deorum duodecim, sed novem illorum numero fuere, de quibus Plinium secundum Caecinam verba facere iam supra vidimus.

Tantum igitur abest, ut Consentibus Etruscorum deis certa quaedam nomina fuisse existimem, ut contra persuasum habeam Consentium quoque nomen a Varrone in Etruscam disciplinam aut furtive translatum aut Etruscum quoddam vocabulum falso latine versum esse. Nam si Caecina, gravissimus sane disciplinae illius auctor, certum aliquod nomen duodecim deorum in libris, quibus ipse est usus, invenisset, certe non omisisset. Itaque

[1]) Varronem sequitur Augustinus *de civ. dei* IV 23: *deos Consentes quos dicunt in consilium Iovis adhiberi.*

Digitized by Google

inutilem Muelleri coniecturam arbitror, qui Fest. p. 129 ita legere vult: *manubiae Iovis tres dicuntur esse, quarum unae sunt minimae, quae moneant placataeque sint; alterae quae maiores sint ac veniant cum fragore discutiantque aut divellant, quae a Iove sint et consilio deorum* (hic Muellerus addere vult *Consentium* aut scribere *XII deorum*, quarum coniecturarum ut priorem falsissimam ita posteriorem speciosissimam puto) *mitti existimentur* e. q. s.

Itaque sicuti Prellerus[1]) Muellero affirmanti Veiovem esse Etruscorum deum telum manibus extorsit, ita Consentes quoque deos ex Etrusca disciplina prorsus removendos esse censeo.

[1]) *Röm. Myth.* I p. 263, 1.

Digitized by Google

ANALECTA CRITICA

SCRIPSIT

PAULUS PROHASEL

Cic. *Brut.* 6, 23: in hac paragrapho duo codd. Gudiani, cod. Paris. s. XV., cod. Dresdens., ed. Norimb. exhibent haec verba: *te praesertim tam studiosum et dicere enim,* ed. Rom. melius: *te praesertim tam studioso et dicere enim.* Si post *studioso* interpungimus, legimus *te praesertim tam studioso. et dicere enim.* Qua collocatione particularum bonae latinitatis scriptores usos esse negat Handius *de part. lat.* II p. 545: recentissimos quidem scriptores ait distracto vocabulo dixisse *et — enim,* non antiquiores; etiamsi igitur in Bruto codicum auctoritate confirmetur, tamen illud librariis esse tribuendum. Quapropter Manutius Lambinus alii scripserunt: *te praesertim studioso. etenim dicere.* Sed primum mutatio difficilis est, tum verba *te praesertim tam studioso* hoc loco sufficere recte negat Pideritius dicens duo praecedentia substantiva *studium ipsum exercitatioque* postulare duo apta adiectiva. Qua de causa Kayser, qui antea vix recte *te praesertim tam studioso mei* scripserat, proposuit hanc lectionem: *studioso et diligenti. Dicere enim.* Puto autem haec duo adiectiva, si minus idem, tamen similiora significare, quam ut multum proficiatur. Utrumque enim adiectivum ad studium referri potest ita, ut de exercitatione non cogitetur. Pideritius denique coniecit: *te praesertim studioso et diligenti dicendi magistro. Dicere enim:* ita respondere duo membra particula *et* coniuncta duobus substantivis praecedentibus. Explicat enim sic fere locum: *zumal ich in dir einen Meister habe, der selbst das Studium so eifrig treibt und fleissig ist, also durch sein Studium und seine exercitatio mein Studium und meine exercitatio immer von*

Digitized by Google

Neuem weckt und stärkt! Sed tamen tot verba, quae quomodo interciderint Pideritius non demonstrat, omissa esse a librariis hoc loco nego. Propono vero hanc lectionem: *te praesertim tam studioso et* [*diserto*]. *dicere enim.* Brutus enim dicere vult Ciceronis amicissimi sui studium excitaturum esse suum ipsius studium, eius eloquentiam semper effecturam, ut et ipse in dicendo exerceatur. Ceterum facile vocem *diserto* ante *dicere* propter litterarum similitudinem a librariis praetermitti potuisse apparet.

Cic. *eiusd. lib.* 47, 175: Cicero, postquam etiam L. Scipionem non imperite dicere Gnaeumque Pompeium Sex. f. aliquem numerum obtinere, Sex. vero fratrem eius praestantissimum ingenium contulisse ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriae et rerum Stoicarum scientiam dixit, sic pergit: *et ante hos M. Brutus et paulo post cum C. Billienus, homo per se magnus, prope simili ratione summus evaserat.* Ante haec verba Lagomarsian. codd. ex archetypo male intellecto exhibent *ita miniure* vel *ita minuire* vel *ita minuere*, cod. Paris. D aliique minoris auctoritatis *sitaminiure*. Locum praebere corruptelam inter omnes constat. Propterea scribitur in ed. Norimberg.: *ita minime*, quae verba omnino sententiae non respondent. In ed. princ. legimus: *ita in iure*, quod habent etiam Med. Asc. spatio vacuo post *ita* relicto. Ceteri editores fere omnes probarunt: *item in iure*, quod recte ex litteris traditis coniectum est. Sed tamen optime O. Jahnius haec adnotat: *Dadurch ist der Sinn nicht hergestellt. Denn das, was von Billienus gesagt wird* (homo-evaserat), *kann nicht auch von Brutus gegolten haben, und es ist also ausgefallen, was diesen näher charakterisierte.* Idcirco lacunam post vocem *scientiam* statuit. Pideritius vero ad hunc locum adnotat: *Diese Worte* (sc. item in iure) *sind mit dem nachfolgenden simili ratione ganz gleichbedeutend.* Neque enim voces *item in iure* propter sequentes particulas *et — et* solum ad Brutum, sed etiam ad Billienum referendae sunt, ita ut *simili ratione* supervacaneum sit. Pideritius ideo proposuit: *ut iam ante hos C. Billienus*, verbis, quae omissa sunt, pro glossemate habitis. Sed eam mutationem audacissime factam esse nemo est qui neget. Propterea equidem locum sic emendandum propono: *Item in iure* [*eminuera*]*t ante hos M. Brutus.* Propter summam litterarum similitudinem *eminuerat* facillime ita excidere potuit, ut ea,

Digitized by Google

quae relinquebantur, corrumperentur. Cf. Cic. *orat.* 29, 104: *qui* (scil. Demosthenes) *quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas.* Denique verba, ut ea quoque explicem, *prope simili ratione* significant *summa iuris scientia.*

Tacit. *Agricol.* c. 35 atrox et cruentum proelium instare inter Romanos et Britannos legimus. Cum alia enim tum haec secundum memoriam cod. Vatic. n. 3429 traduntur: *tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus* etc. cod. Vatic n. 4498 exhibet pro *latera* vocem *altera.* Verborum *ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur* contextum vitiosum esse inter omnes constat. Propterea Froehlichius et Wexius prius *simul* deleverunt. Gesner autem, quem Haasius secutus est, vocem *et* in praepositionem *in* mutavit. Cetera vide ap. Woelfflinium in *Philol.* vol. XXVI p. 112. Equidem multo facilius atque melius locum sic sanandum esse censeo: *ne simul in frontem simul e latere suorum pugnaretur.* De particula *simul* ita iterata cf. eiusdem libri c. 36: *simulque constantia simul arte;* 41: *simul suis virtutibus simul vitiis aliorum;* 25: *simul terra simul mari.* Tum optime dicitur *e latere pugnare;* cf. Lucr. 2, 1049; Sall. *Catil.* 60.

Tacit. *Ann.* IV 63: Amphitheatri casu Fidenis multa hominum milia debilitata vel obruta esse Tacitus narrat pergitque: *et saepe certamen, si confusior facies, sed par forma aut aetas errorem agnoscentibus fecerat.* Offendo hoc loco in voce *confusior.* Hoc enim participium animi aliquem statum significare atque de iis dici solet, qui affectu quopiam perturbati sunt. In universum autem nomen illud rerum quae acciderunt ratione habita languidius putes. Propterea facillima mutatione pro *confusior* scribendum esse puto *contusior*, quod optime sententiarum conexui respondet. Ceterum cf. Iuv. 13, 128. Liv. 21, 40. Ovid. *Met.* 12, 85. 14, 96. Horat. *epod.* 5, 98. *epist.* II 1, 10 etc.

Thucyd. III 37, 2: Agitur de Mytilenaeis. Cleon orationem exorsus Atheniensibus, ut perstent in iis quae semel decreverint, suadet eosque obiurgans, quod socios insidiosos aeque tractandos esse atque cives benevolos censeant, haec verba secundum codicum memoriam adiungit: *οἱ σχολοῦντες, ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ τοὺς ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους.* In

Digitized by Google

enuntiato secundario offendo. Ac primum quidem conexus sententiarum tam laxus est, ut verba *καὶ πρὸς* etc., quibus sententiam antecedentem augeri oportet, languide iis quae praecedunt agglutinentur. Tum, quamquam nomina, in quibus notio alicuius animi affectus insit, praepositione *πρὸς* iungi solere constat, magnopere tamen dubito, num *τυραννίδα* vel *ἀρχὴν ἔχειν πρός τινα*, utpote cum *ἄρχειν* genetivum habeat, graecum sit; ceterum cf. Xen. *comm.* IV 6, 12. Propterea minima mutatione facta optimum orationis cursum sic restituo: *οὐ σκοπούντες ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ πρόσ[έτι] ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους*. Thucydides enim sententiam, quae antecedit, eis verbis, quae sequuntur, ita continuare atque augere solet, ut particulas *καὶ προσέτι* adhibeat; cf. III 43. 56. IV 92. 120. VI 27. 53. 68. VII 29. 70. 87 etc. Illud *ετι* ante *επι* facillime a librariis omitti potuit.

Aristoph. *Ran.* v. 1100: Sermo est de certamine ab Aeschylo cum Euripide inito. Chorus cum alia tum haec dicit: *χαλεπὸν οἶν ἔργον διαιρεῖν* i. e. difficile sane dirimere controversiam. Equidem in verbis, quae attuli, offendo. Ac primum quidem *διαιρεῖν* nullo alio loco notionem controversiam dirimendi habet, ita ut absolute adhibeatur, immo vero solam dirimendi. Quid igitur vel de qua re disceptetur, semper additur. Cf. ea quae adnotat Kockius in ed. Ran. a. MDCCCLXXXI. Deinde vox *ἔργον* nostro loco languida atque supervacanea est, ut *ἔργον* corruptum esse ex alio nomine, quod pertinuerit ad *διαιρεῖν*, suspicemur. Itaque audacter Nauckuis coniecit *ἔχθραν* pro *ἔργον*. Sed demonstrari vix poterit, quomodo hoc ex illo exortum sit. Propterea scribendum propono: *χαλεπὸν οὖν ἔριν διαιρεῖν*. Qua facillima mutatione difficultatibus, quas supra commemoravi sublatis et conexui sententiarum verborumque et arti metricae ita, ut alter pes nostri versus alteri antistrophes versus 1110 respondeat, satisfit. Ad *ἔριν διαιρεῖν* cf. imprimis Herod. IV 23. Xen. *de vect.* III 3. Aeschyl. *Eum.* 468.

Curt. *hist.* VIII 4, 15: Narratur hoc loco, quomodo frigoris nimia vi paene Alexandri exercitus Gazabam (?) aditurus opprimatur. *Forte Macedo gregarius miles seque et arma sustentans tamen in castra perveneral.* Locus sane est lacunosus, nam deest in priore enuntiati parte vocabulum, quod restringat participium *sustentans* ac respondeat particulae *tamen*. cf. VI 1,11. Liv. XXIII 45, 3. etc. Propterea Merula apud Freinshemium ante

Digitized by Google

seque interposuit *vix*, quod quomodo interciderit dubium est. Propius ad probabilitatem Muetzellius accedens proponit *aegre seque et arma sustentans*. Sed tamen multo melius mihi videor commendare legendum: [*male*] *seque et arma sustentans*. Facile librarius omisit *male* post *miles*. Ceterum cf. Livii, quem Curtius imitatur [1]), lib. I 25, 12: *male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit*. Curt. VI 7, 15: *male sanus*. Denique particulam *tamen* mutari in *tandem*, quod nonnulli fecerunt, vix probem [2]).

---

[1]) Wiedemann in *Philolog.* XXXI p. 342—348. 551—562. 756—768. Muetzell ed. p. XXXVI. Koehler *qua ratione T. Livii annalibus usi sint historici latini atque graeci*. Gott. 1870 p. 82.

[2]) Krah *Curtius als Schullectüre* II p. 20.

Digitized by Google

CASSIUS SEVERUS QUANDO SUUM DE DECLAMATIONIBUS IUDICIUM A SENECA RHETORE TRADITUM (CONTR. III PRAEF. 8 SQQ) FECERIT

SCRIPSIT

JULIUS BRZOSKA

Quamquam ex Seneca rhetore multi adhuc viri docti multa excerpserunt ac delibarunt [1]), quibus eloquentiae Romanae condicionem sub primis Caesaribus mutatam illustrarent, restant tamen multa, quibus accuratius examinatis et perpensis aliquantulum litterae adiuventur. atque hac quidem occasione data in una controversiarum libri tertii praefatione in primis notabili me continere constitui. vidit Seneca Cassium Severum oratorem, etsi omnia haberet, quae illum ut bene declamaret instruerent, nihilo tamen minus non tantum infra se cum declamaret, sed infra multos fuisse (§ 7) ideoque ex eo quaesivit, quid esset cur in declamationibus eloquentia illi sua non responderet (§ 1). cui quae Cassius sui excusandi causa copiosissime respondit leguntur §§ 8—18, quam orationem, quo commodius tam argumentandi ratio quam sententiarum ordo perspiciantur paucis quibus ad quaestionem expediendam omnino non est opus omissis totam hic subicere libet.

---

[1]) praecipua laude dignus est FGLindner, qui cum historiam declamatorum Romanorum qui Augusti aetate vigebant conscribere sibi proposuisset. quinque deinceps commentationibus emissis imagines praeclarissimorum quinque rhetorum M. Porci Latronis (Vratislaviae 1855), L. Cesti Pii (Zuellichaviae 1858), C. Albuci Sili (Vratislaviae 1861), Arelli Fusci (Vratislaviae 1862), Iuni Gallionis (Cervimontii 1868) satis dilucide depinxit, aliorum quotiens quantumque fieri potuit paucis liniis adumbravit.

Digitized by Google

(§ 8) *quod in me miraris paene omnibus evenit. magna quoque ingenia — a quibus multum abesse me scio — quando plus quam in uno eminuerunt opere? Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit; Vergilium illa felicitas ingenii [in] oratione soluta reliquit; orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur: eloquentissimi viri Platonis oratio quae pro Socrate scripta [est] nec patrono nec reo digna est.* (9) *hoc non ingeniis tantum, sed corporibus videris accidere, quorum vires non ad omnia quae viribus efficiuntur aptae sunt . . . ad animalia veni . . .* (10) *ut ad meum te morbum vocem, Pylades in comoedia, Bathyllus in tragoedia multum a se aberant . . . in ipsa oratione quamvis una materia sit, tamen ille qui optime argumentatur, neglegentius narrat; ille non tam bene implet quam praeparat. Passienus noster cum coepit dicere, secundum principium statim fuga fit, ad epilogum omnes revertimur, media tantum quibus necesse est audiunt.* (11) *miraris eundem non aeque bene declamare quam causas agere aut eundem non tam bene suasorias quam iudiciales controversias*[1] *dicere? Silo Pompeius*[2] *sedens et facundus et litteratus est et haberetur disertus, si a praelocutione dimitteret: declamat tam male, ut videar belle optasse cum dixi: numquam surgas. magna et varia res est eloquentia neque adhuc ulli sic indulsit*

---

[1]) non mirer si quis in voce *iudiciales*, quae hoc uno loco cum controversiae nomine iuncta a Seneca usurpatur, offendat eamque ut glossema ex verborum ordine exterminet: at vereor ne incautius agat, nam discernebantur teste Suetonio *de gramm. et rhet.* 25 p. 122 sq. Rffsch. controversiae *aut fictae aut iudiciales*, ita ut, si quid est mutandum, latius pateat corruptela.

[2]) eundem cum Sexto Pompeio (Nepote) cos. 767/14 p. Chr., cuius facundiam Ovidius et Valerius Maximus praedicant, hunc fuisse suspicatur A. Kiessling in indice p. 549, falso me iudice; nam primum Silonis multae afferuntur sententiae narrationes divisiones colores, quod Seneca non fecisset, si Pompei vivam vocem filii audire potuissent (contr. I praef. 4: *neque enim de his me interrogatis, quos ipsi audistis, sed de his qui ad vos usque non pervenerunt);* deinde consul ille, de quo v. Draeger *ad Tac ann.* III 11; Nipperdey *ad Tac ann.* III 11. 72 (ed. oct. cur. G. Andresen, Berol. 1884), diutius in vita videtur fuisse, quam ipse Seneca rhetor, qui tamen Silonis tamquam mortui meminit (*homo qui iudicio censebatur, non suae infirmitatis sententiam dixit, efficaciter declamavit, venusto genere sententiarum usus est.* cf. Kiesslingii index).

Digitized by Google

ut tota contingeret; satis felix est qui in aliquam eius partem receptus est. (12) *ego tamen et propriam causam videor posse reddere: adsuevi non auditorem spectare sed iudicem; adsuevi non mihi respondere, sed adversario; non minus devito supervacua dicere quam contraria. in scholastica quid non supervacuum est, cum ipsa supervacua sit? indicabo tibi affectum meum: cum in foro dico, aliquid ago; cum declamo, id quod bellissime Censorinus*[1]) *aiebat de his qui honores in municipiis ambitiose peterent: videor mihi in somniis laborare.* (13) *deinde res ipsa diversa est: totum aliud est pugnare, aliud ventilare. hoc ita semper arbitratum est, scholam quasi ludum esse, forum arenam; et ideo ille primum in foro verba facturus tiro dictus est. agedum istos declamatores produc in senatum, in forum: cum loco mutabuntur; velut adsueta clauso et delicatae umbrae corpora sub divo stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se invenient; adsuerunt enim suo arbitrio diserti esse.* (14) *non est quod oratorem in hac puerili exercitatione spectes. quid si velis gubernatorem in piscina aestimare? diligentius me tibi excusarem tamquam huic rei non essem natus, nisi scirem et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et Passienum qui nunc primo loco stat*[2]) *minus bene audiri quam Cestium aut Latronem.*[3]). (15) *utrum ergo putas hoc dicentium vitium esse an audientium? non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant,* [*qui*] *pueri fere aut iuvenes scholas frequentant; hi non tantum disertissimis viris quos paulo ante rettuli Cestium suum praeferunt,* [*sed etiam Ciceroni praeferrent*], *nisi lapides timerent. quo tamen uno modo possunt, praeferunt: huius enim declamationes ediscunt, illius orationes non legunt, nisi eas quibus Cestius rescripsit.* (16) *memini me intrare scholam eius, cum recitaturus esset in Milonem;*

---

[1]) eundem hunc habuerim cum C. Marcio L. f. L. n. Censorino cos. 746/8 a. Ch., de quo haec habet Velleius II 102, 1: *paulo post* (scil. a. 755/2 p. Ch.) *obiisse Censorinum in iisdem provinciis* (in oriente) *graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.*

[2]) perperam Haakh in PRE s. v. hunc Passienum Crispum fuisse contendit in errorem deductus hac falsa ratiocinatione: *an den Vater kann nicht gedacht werden, da Seneca erst nach dessen Zeit* (i. e. post 745/9 a. Chr.) *nach Rom zog.* cf. Teuffel *RLG*[4] p. 593. 597. eadem laude effertur Passienus *contr.* II 5 (13), 17: *P. vir eloquentissimus et temporis sui primus orator.*

[3]) *declamatoriae virtutis unicum exemplum* contr. IX praef. 3.

Digitized by Google

Cestius ex consuetudine sua inflatus[1]*) dicebat: si Threx essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem, si equus, Melissio. non continui bilem et exclamavi: si cloaca esses, maxima esses. risus omnium ingens; scholastici intueri me, quis essem qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus mihi quod responderet non invenit, sed negavit se exsecuturum, nisi exissem de domo. ego negavi me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem.* (17) *deinde libuit Ciceroni de Cestio in foro satisfacere .... neque* (ut iuraret disertiorem esse Ciceronem quam se) *vel ioco vel serio effici potuit.* (18) *hanc, inquit, tibi fabellam rettuli, ut scires in declamationibus tantum non aliud genus hominum esse. si comparari illis volo, non ingenio mihi maiore opus est, sed sensu minore. itaque vix iam obtineri solet, ut declamem; illud obtineri non potest, ut velim aliis quam familiarissimis audientibus.*

Romae, quo haud ita multo post Ciceronis mortem Seneca Cordubensis studiorum causa transmigraverat, Cassium Severum haec disputasse nihil est quod moneam; agitur de tempore, quod etsi in universum facile perspicitur, tamen artiores fines nondum sunt constituti; quos circumscribere nec difficile et cum ad alias res tum ad declamationum historiam penitus pernoscendam admodum utile videtur esse. atque Cassius quod diserut, ante annum 761/8 p. Ch., quo in exilium missus est[2]), rem actam esse manifesto probat; quod Seneca audiente, aut ante a. 744/10 a. Ch. aut post a. 754/Ch. n., quo fere temporis intervallo Seneca Roma afuit[3]), disputationem esse collocandam docet. neque quominus inter annos 754 et 761 tempus includamus impediunt vitae Cesti, qui quod *contr.* I 3, 10 Quintili Vari filio haec obiecit *ista neglegentia pater tuus exercitum perdidit*, ultra a. 763/9 p. Ch. vitam produxit, aut Pollionis et

---

[1]) correxit E. Thomas *schedae criticae in Senecam rhetorem*, Berolini 1880 p. 37 sq. (codd. *miratus*).

[2]) ubi *XXV exilii sui anno in summa inopia moritur vix panno verenda contectus* a. 785; cf. Hieron. a. Abr. 2048 = Ol. 202, 4 (Suet. frg. 69* p. 87 Rffsch.).

[3]) cf. Jos. Koerber *ueber den Rhetor Seneca und die roemische Rhetorik seiner Zeit* Marburg 1864 p. 6; H. Lehmann *Philol.* VIII p. 310; O. Gruppe *quaestiones Annaeanae* diss. Berol. Sedini 1873 p. 25. 44, qui una cum Seneca etiam Latronem in patriam revertisse haud improbabilem proposuit coniecturam, nixus praecipue locis Sen. *contr.* I praef. 13; IX praef. 3.

Digitized by Google

Messalae. de quorum anno fatali quamquam nondum convenit inter viros doctos, tamen post a. 754 utrumque mortuum esse exploratum est.[1]) discrepat vero ab hac temporis notatione cum Latronis, qui a. 750/4 a. Ch. *taedio duplicis quartanae semet ipsum interfecit*[2]), tum Passieni vita, quem *declamatorem insignem diem obiisse* traditum est a. 745/9 a. Ch.[3]) hinc potissimum profecti certo iudicio ante a. 745 sermonem de quo agitur institutum esse adseveramus i. e. priusquam Seneca Roma Cordubam redierit. — rursus si post quem terminum disputationem illam ponas circumspexeris, paene in eundum annum incides. namque Cassius, quod satis subtili et acri iudicio in hac quaestione dirimenda utitur, idem Cestio contra Ciceronem declamanti gravissimas difficultates et molestias facessiverat (§ 16—18) iamque ipse egregia floruit laude oratoria (§ 1—8), triginta minimum annorum vir fuit, qui cum sub Caesaris mortem natus sit, non ante 740/14 a. Ch. cum Seneca suam de declamationibus sententiam communicasse putandus est. cui temporis definitioni aptum est, quod Latro, quem cum Cestio inter nobilissimos declamatores refert Cassius, tum in summo honore fuit, quippe qui a. 737/17 a. Ch. dignus censeretur, cuius declamationem una cum Augusto celeberrimi illius aetatis viri Maecenas et Agrippa audirent; neque Cestius ignobilis eo tempore fuit, immo ipsum annum 741/13 a. Ch. Hieronymus (a. Abr. 2004 = Ol. 191, 4. Suet. frg. 91* p. 127) eum significavit, quo Smyrnaeus ille rhetor latine Romae docuerit.[4]) hactenus ratiocinando verum adsequi studuimus; at exstant in ipso prooemio

[1]) Hieronymo teste Pollio a. 757/4 p. Ch., Messala a. 764/11 p. Ch. decesserunt; veri autem videtur simillimum a. 758/5 p. Ch. Asinium, non post a. 762/9 p. Ch. Messalam vita profectos esse. cf. Teuffel *RLG*[4] p. 441 sq. 445.

[2]) Hieron. a. Abr. 2013 = Ol. 194, 1 (Suet. frg. 92* p. 128).

[3]) Hieron. a. Abr. 2008 = Ol. 192, 4 (Suet. frg. 64* p. 84).

[4]) neque tum primum neque longo tempore ante Cestium Romae latine declamasse crediderim. etenim scimus non ante 725/29 a. Ch. ex Asia eum Romam se contulisse (Lindner p. 5—7), utque illo ipso anno Romam venerit, ilico ad latinas declamationes rhetorem graecum se accinxisse fidem excedit. iam vero in declamationibus latinis tum cum Cassius disseruit summam sibi auctoritatem Cestius comparavit, id quod ex ipsa praefatione dilucidissime apparet. ergo annum ab Hieronymo significatum et annum quo Cassius sermonem instituit in idem fere tempus incidere a probabilitate non abhorret. ceterum floruit Cestius, ut supra commemoravimus, etiam plus viginti annis post, ita ut multo ante a. 741/13 eum florere coepisse non facile mihi persuadeatur. cf. HMeier *FOR* p. 234.

Digitized by Google

certissima vestigia, quibus eodem deducamur. ex paragrapho octava, in qua de Vergili oratione soluta iudicium Cassi traditur, Vergilium iam non in vivis fuisse efficitur; qui cum mense Septembri anni 733/19 a. Ch. de vita decessisset, post illum terminum hanc disputationem constituendam esse liquet. propius etiam ad annum, quem antea elicuimus, accedemus, ubi quae de Pylade et Bathyllo (§ 10) comperta habemus, contulerimus; de quibus cum ut de mortuis Cassius verba faciat, nimis dolendum est, quod quando obierint mortem nescimus; sed commodissime accidit, ut eos a. 736/18 a. Ch. etiam in vita fuisse diserto testimonio comprobatum sit. ad illum enim annum praeter alia multa haec rettulit Cassius Dio 54, 17: *ὥστε, εἰ καὶ πρὸς τὴν ἀκρίβειαν τῶν ἄλλων αὐτοῦ* (Augusti) *νομοθετημάτων ἥχθοντό τινες, ἀλλ' ὑπό τε τούτου, καὶ ὅτι Πυλάδην τινὰ ὀρχηστὴν διὰ στάσιν ἐξελιλαμένον κατήγαγεν, οὐκέτ' ἐκείνων ἐμέμνηντο. ὅθενπερ πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης, ἐπιτιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ, ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι διεστασίαζεν, εἰπεῖν λέγεται, ὅτι συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι. ταῦτα μὲν ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει ἐγένετο κτλ.*[1]) quae Dionis verba qui paulo attentius inspexerit, is, cum credibile non sit et Pyladem et Bathyllum uno eodemque anno vel illo ipso anno (736) diem supremum obiisse, aliquot annis post a. 736/18 a. Ch. Cassi sermonem fuisse libentissime largietur.

Quae cum ita sint, iusta ratione inita docuisse nobis videmur ante a. 745/9 a. Ch. et aliquanto post a. 736/18 a. Ch. Cassi sermonem habitum esse. neque multum a vero aberrabit, qui proxime a. 744/10 a. Ch. eum constituerit. tum igitur Cassius Severus, cuiussi minus verba[2]), at certe sententias Seneca,

[1]) conferatur etiam Hieronymus a. Abr. 1995 = Ol. 189, 3 (Suet. frg. 4* p. 22): *Pylades Cilix pantomimus, cum veteres ipsi canerent atque saltarent, primus Romae chorum et fistulam sibi praecinere fecit*, h. e. a. 732/22 a. Ch. eiusdem fere temporis est Gallionis rescriptum Labieno pro Bathyllo Maecenatis, de quo vide Lindnerum *de Gallione* p. 9; quod cum Gallio adulescens recitasset *(contr.* X praef. 8) idemque Ovidii amici aetati suppar esset, circa a. 734/20 ponendum esse affirmaverim. quod Cestius in declamatione a Cassio citata § 16 Bathylli facit mentionem, nihil inde lucramur ad aetatem Bathylli accuratius describendam.

[2]) quod si esset, verborum *iudiciales controversias* (§ 11) coniunctionem Cassio vindicare non dubitares.

Digitized by Google

qua erat fidelissima et vere admirabili memoria, reddidit, conquestus est quod deperdita eloquentia iam laetissime declamatorum studia Romae florerent, acerbissimeque in declamationes quas prorsus supervacuas iudicat invehitur (cf. in primis § 12 sq.). cuius iudicium eo est disertius et memorabilius, quod ipsum Cassium velut terminum antiquitatis constituere solebant antiquorum admiratores eumque primum affirmabant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via (Tac. *dial.* 19). tum Asinius Pollio et Messala Corvinus et Passienus pater minus bene quam Cestius et Latro audiebantur; qui si aliquantum dicendo valere voluerunt, ad declamationes et ipsi descendere cogebantur. tum qui primo inter oratores stetit loco, Passienus *cum coepit dicere, secundum principium, ut ait Cassius, statim fuga fit, ad epilogum omnes revertimur, media tantum quibus necesse est audiunt.* quid mirum, si ipsi Ciceroni sanequam corruptissimo iudicio praeponebatur Cestius homo Graecus *latinorum verborum inopia laborans* (contr. VII 1, 27) neque legebantur Ciceronis orationes nisi eae, quibus rescripsit Cestius. profecto triginta fere annis post Ciceronis mortem oratorum laus ad nihilum venit, id quod brevi tempore eventurum esse verissime praesagiverat Cicero *Tusc.* II 2, 5.[1])

[1]) alia multa quae ex temporis computatione a nobis instituta consequuntur, hic subiungere cum a proposito nostro alienum tum supervacaneum videtur esse; nam qui diligentius Cassi verba nunc relegerit atque ad annum 744/10 a. Ch. relata examinaverit, suas sibi ipse facillime conformabit opiniones; v. g. nunc scimus iam ante huius sermonis tempus fuisse moris, ut in balneis publicis (§ 16) declamatores recitarent, quo de incertus haeret A. Westermann *GdB* II p. 271 n. 23; neque minus memoria est dignum et ad illustrandum eloquentiae statum summi momenti, quod tunc temporis de orationibus Sallustianis vulgo iniquum ferebatur iudicium (§ 8; Teuffel *RLG*[3] p. 398 sq.), unde corrigenda et supplenda est Iulii Sellge *symbola ad hist. libr. Sallust. I* (diss. Vratisl. Sagani 1882) p. 8.

Digitized by Google

LECTIONES LUCIANEAE

SCRIPSIT

FRIDERICUS PAETZOLT

De mercede cond. 35 de iniuriis multus est Lucianus, quae in mercede conductos conferri solent: *Οἶδα δ' ἐγώ*, inquit, *καὶ ῥήτορα τῶν καρχάρων ἐπὶ τῷ δείπνῳ κελευσθέντα μελετήσαντα μὰ τὸν Δί' οὐκ ἀπαιδεύτως κτλ.* Miror quod nemo adhuc offendit in participiis *κελευσθέντα μελετήσαντα*, quae non coniuncta inter se et dictionis obsunt elegantiae et sententiae infringunt perspicuitatem. Auctorem ipsum scripsisse suspicor: *κελευσθέντα μελετᾶν καὶ μελετήσαντα*, ut ita vertendum sit: *Novi ego vel seriis rhetoribus unum, qui inter epulas iuberetur declamare ac declamaret mehercle non inculte.*

Similem medicinam *Parasit.* 34 expostulat. Ubi Plato parasitus fingitur Dionysii, qui initio quidem per aliquot dies his partibus functus insolitam personam mox deposuerit. Iam haec sunt verba Luciani: *τοῦ παρασιτεῖν ὑπὸ ἀφυίας ἐξέπεσε, καὶ πάλιν Ἀθήναζε ἀφικόμενος καὶ φιλοπονήσας καὶ παρασκευάσας ἑαυτὸν αὖθις δευτέρῳ στόλῳ ἐπέπλευσε τῇ Σικελίᾳ καὶ δειπνήσας πάλιν ὀλίγας ἡμέρας ὑπὸ ἀμαθίας ἐξέπεσε.* Ad restituendam enuntiatorum congruentiam post vocem *ἀμαθίας* alterum *αὖθις* inseri oportet, quod superius *αὖθις* eodem modo excipiat, quo modo voci *πάλιν* paullo inferius altera respondet eadem vox. Inter *αὖθις* enim et nominis *ἀμαθίας* exitum tanta intercedit ductuum similitudo, ut illud scribae errore exciderit obiter legentis.

Eundem in modum *Dial. deor.* IV 5 (extr.) Fritzschius corrigit *ἀθανασίας* [*αὖθις*] *ἄγε. Opus enim est,* inquit, *notione reducendi. Sic demum bene haec opposita sunt: νῦν δ' ἄπαγε — καὶ — αὖθις ἄγε.* Conferens autem Hom. *Iliad* XV v. 29 *ἀνήγαγον αὖτις* et Luc. *Ver. hist.* I 11 *ἀνάγειν ὡς τὸν βασιλέα* et *ib.* II 6

Digitized by Google

ἀνῆγον ὡς τὸν ἄρχοντα, fortasse in Fritzschii coniectura non acquieveris, sed ex codd. FL lectione *ἄγαγε* restitueris *αὖθις ἄναγε*.

Tyrannicid. 12. Occidit aliquis non ipsum quidem tyrannum sed eius filium et in corpore interfecti ensem reliquit. Patrem autem tyrannum, cum filium ita trucidatum conspiceret, tantus dolor tantumque corripuit taedium vitae, ut illo ipso ense sese percuteret. Iam interfector coram populo, quamvis filium tantum tyranni sua manu profligaverit, idem sibi praemium expetit, ac si ipsum tyrannum necavisset. Qui cap. 12. ita fere *Dein*, inquit, *si quis hoc modo* (non ipse caedens scilicet, sed alii cuidem caedendi causam suppeditans) *interfecerit, cum necare voles ut homicidam neque ullo modo eum patieris absolvi; sin quis eodem modo* (non ipse quidem afferens beneficium, sed alii cuidam afferendi occasionem suppeditans) *in civitatem beneficium contulerit* (*τὸν δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν τοῦτῳ τρόπον εὖ πεποιηκότα τὴν πόλιν*) *οὐ τῶν ὁμοίων ἀξιώσεις τοῖς εὐεργέταις;* At talis homo quin beneficus existimandus et in beneficorum numero sit habendus, is qui loquitur non dubitat, sed potius eiusmodi beneficos comparat cum iis, qui ipsi ipsorum manu agentes beneficium in aliquem contulerunt. Itaque sententiae exitus videtur corrigendus: *τοῖς ἔργῳ εὐεργέταις*.

Ibid. 5 — quod caput adhuc vitiis scatet — de tyranni filio disserit tyrannicida, qui assentiente patre omnia libidinis atque crudelitatis genera exercuerit: *καὶ τὸ πρᾶγμα*, inquit, *ἡμῖν ἀφόρητον καθειστήκει· ὅταν γὰρ τῆς γνώμης ἐπιθυμίαι τὴν τῆς ἀρχῆς ἐξουσίαν προσλάβωσιν, οὐδένα ὅρον ποιοῦνται τῶν ἀδικημάτων*. Quae sint *τῆς γνώμης ἐπιθυμίαι*, non habeo quod dicam. Nonne legendum: *τῆς ἡδονῆς*?

Piscat. 20. Lucianus se esse professus *μισαλάζονα* et *μισογόητα* et *μισοψευδῆ* et *μισότυφον* et quae sunt similia, quo et ipse in multorum irruat invidiam periculisque obnoxius fiat haud paucis, se non odii tantum studiosum esse dicit, sed ne contrariam quidem artem ignorare: *λέγω δέ*, inquit, *τὴν ἀπὸ τοῦ φιλο* (sic Halmius et Sommerbrodtius bene pro *φίλου*) *τὴν ἀρχὴν ἔχουσαν· φιλαλήθης τε γὰρ καὶ φιλόκαλος καὶ φιλαπλοϊκὸς καὶ ὅσα τῷ φιλεῖσθαι ξυγγενῆ*. Sed haec omnia nostro loco non tam efficiunt, ut aliquis diligatur ab aliis hominibus, quam eorum hominum amantem significant Lucianum, quicunque verum et pulchrum et sincerum et similia sectantur. Quippe ita pergit ipse auctor:

Digitized by Google

πλὴν ἀλλ' ὀλίγοι πάνυ ταύτης ἄξιοι τῆς τέχνης i. e.: *pauci omnino digni sunt, quos ego diligam.* Contractum igitur verbum *φιλεῖσθαι* censeo ex *φιλεῖν ἐστι* scioli scribentis errore ex antecedentibus verbis *ὁρᾷς γοῦν ὁπόσοις ἀπεχθάνομαι* orto.

De dea Syria 33 aureum simulacrum deae commemoratur inter duo alia collocatum ceterisque simulacris dissimil limum. Verum enimvero formam non fert peculiarem, *φορέει δὲ τῶν ἄλλων θεῶν εἶδεα. καλέεται δὲ σημήιον καὶ ὑπ' αὐτῶν Ἀσσυρίων οὐδέ τι οὔνομα ἴδιον αὐτῷ ἔθεντο, ἀλλ' οὐδὲ γενέσιος αὐτοῦ καὶ εἴδεος λέγουσι·* Corruptus est sententiae finis, nam non erat dicendum: *non loquuntur de eius origine et genere,* sed: *non habent quod dicant.* Deinde autem genetivae formae *γενέσιος αὐτοῦ καὶ εἴδεος* non est unde pendeant. Quod mendum sunt qui tollere conentur iniecta praepositione *πέρι* post *γενέσιος*, quamquam multo facilius locus ita sanatur, ut pronomen *τι*, quod nunc prope superius *οὐδὲ* legitur, eo reponatur, unde cessit, post alterum *οὐδέ*. Extremum autem sententiae verbum mutilum est et decurtatum ex *λέγ[ειν ἔχ]ουσι*, ut hic fere sensus verbis insit: *Neque proprium nomen ei dant, at ne de origine quidem et genere eius quicquam proferre possunt.* Usitatum autem est admodum Luciano *λέγειν* vel *εἰπεῖν ἔχειν*, cf. *Paras.* 31 *εἰπεῖν ἔχοις* et *Hermot.* 55 *ἐσχες ἂν εἰπεῖν*.

Philops. 9. Dinomacho, qui febrim aliosque morbos incantationibus expelli posse contendit ex hominum corporibus, Tychiades: *οὐδὲ γὰρ ἃ φῂς ταῦτα δῆλα μετὰ τοιαύτης δυνάμεως γιγνόμενα. ἦν γοῦν μὴ πείσῃς πρότερον ἐπάγων τῷ λόγῳ, διότι φύσιν ἔχει γίγνεσθαι, τοῦ τε πυρετοῦ καὶ τοῦ οἰδήματος δεδιότος ἢ ὄνομα θεσπέσιον ἢ ῥῆσιν βαρβαρικὴν καὶ διὰ τοῦτο ἐκ τοῦ βουβῶνος δραπετεύοντος, ἴσα σοι γραῶν μύθοις τὰ λεγόμενά ἐστι.* Sic acute et ingeniose Fritzschius depravatum enuntiati exitum reparavit. Verba autem *διότι* seqq. idem adverbio *οὕτω* ex nonnullis libris assumpto ita proponit legenda: *διότι φύσιν ἔχει γίγνεσθαι οὕτω τά τε τοῦ πυρετοῦ* sqq. Attamen verba *φύσιν ἔχει* aeque intellego, ac si omnino non tradita essent. Quod autem insequenti capite invenimus: *εἴγε μὴ οἷόν τε εἶναι ὑπὸ ἱερῶν ὀνομάτων γίγνεσθαι*, inde nostro quoque loco a Luciano scriptum esse colligo: *διότι ἴασιν οἷόν γίγνεσθαι οὕτω τοῦ τε πυρετοῦ* sqq.

Ibid. 14. Iuveni cuidam, Chrysidem mulierculam qui deperit, advocatur magus, ut sua arte adulescentem adiuvet animumque

Digitized by Google

illius ei conciliet. Quae qui narrat, his deinceps utitur verbis: *τὸν Ὑπερβόρεον ἐκεῖνον μάγον ἄγω πρὸς αὐτὸν ἐπὶ μναῖς τέτταρσι μὲν τὸ παραυτίκα — ἔδει γὰρ προτελέσαι τι πρὸς τὰς θυσίας — ἐκκαίδεκα δέ, εἰ τύχοι τῆς Χρυσίδος.* Mirum quod nemo adhuc leviuscula mutatione correxit *περὶ τῆς θυσίας.*

Lexiph. 19. Turbam inanium verborum protulit Lexiphanes ita, ut Lucianus eum delirare ratus Sopolin medicum iam modo intrantem exhortetur, praebeat aegrotanti medicinam. Quare iratus ipsum Lucianum ille Sopoli dicit sana mente carere et similia: *καὶ ἤδη γε ἄπειμι παρὰ τὸν ἑταίριον Κλεινίαν, ὅτι πυνθάνομαι χρόνον ἤδη ἀκάθαρτον εἶναι αὐτῷ τὴν γυναῖκα κτλ.* Age pro *ἄπειμι* restituas *ἄπιθι.* Nam non ipse Lexiphanes amici uxori medicaturus est, sed medicum eo abire iubet.

In libello, qui *Lucius s. Asinus* inscribitur quemque E. Rohde nostra aetate Luciano denuo vindicavit, Lucius quidam cum Hypata, Thessaliae in urbem, se profecturum fuisse narrasset, ut ad Hipparchum quendam hospitis epistulam perferret, ita pergit cap. 1: *πλησίον ἤδη τῆς πόλεως ἦμεν κἀγὼ ἠρόμην τοὺς Θετταλούς, εἴ που ἐπίστανται ἄνδρα*[1]) *— Ἵππαρχον τοὔνομα.* Qui se eum novisse respondent et similia. Iam lego equidem Lucii verba: *ἐπεὶ δ' ἔτι πλησιαίτερον τῆς πόλεως ἐγεγόνειμεν κτλ.*, non ut vulgo leguntur: *ἐπεὶ δὲ πλησίον κτλ.* Nam qui tum prope aberant ab urbe, progredientes iam propius absint necesse est. Syllaba *τι* enim sequente *π* expuncta est; adiectivorum gradus autem haud raro a librariis temere commutatos veterum scriptis maculas adspersisse exemplis comprobavi *Observ. crit.* p. 25. Quem numerum augeam loco a Cobeto correcto, *Paras.* 60: *λοιπόν, εἰ μὴ αἰσχρὸν* (pro tradito *αἴσχιον*) *κτλ.* Neque apud alios scriptores locos ita inquinatos frustra quaeres. Veluti Aristoph. *Av.* v. 703 ita proponam legendum: *πολὺ πρεσβύτεροι* (vulgo *πρεσβύτατοι*) *πάντων μακάρων ἡμεῖς*, et in Eurip. *Androm.* v. 639 cum Stobaeo et Hesychio ex nonnullis libris comparativam formam *κἴδιον* pro superlativo *κύδιστον* recipiam. Ac ne in Homeri quidem *Odyss.* XI 482 et VII 156 facere possum, quin superlativas formas *μακάρτατος* et *προγενέστατος* vitiose irrepsisse mihi persuadeam pro comparativis.

[1]) Verba *ἐς τὰ Ὕπατα* quomodo transponi velim exposui in *Observat. crit. in Lucianum* meis editis Ligniciae a. 1880 p. 17.

Digitized by Google

Ad Hipparchi aedes Lucius ille cum pervenisset, fores pulsat mulierique cuidam aperienti se epistulam afferre dicit a Decriano Patrensi ad Hipparchum datam. Cui mulier illa cap. 2 *μεῖνόν με, ἔφη, αὐτοῦ, καὶ τὴν θύραν συγκλείσασα ᾤχετο εἴσω, καὶ πάλιν ἐξελθοῦσα.* Sic lego deleta vocula *ποτὲ* et particula *πάλιν* in locum eius restituta. Non enim ita raro factum est, ut vel singulis vel compluribus verbis loco suo casu remotis cetera iam a sciolis scribis aut mutilarentur aut amplificarentur, dum aliquantulum ad sensum quadrarent. Duorum versuum reminiscor Aristoph. *Av.* 15. 16, qui simili ratione ita turbati sunt ac conversi, ut et Cobetus et Meinekius eos prorsus e textu relegaverint. Ubi Euelpides ac Pisthetaerus patria relicta avium fines quaerentes a duabus avibus per amplas ambages ita circumducuntur, ut Euelpides se unquam ad itineris finem perventuros esse desperans aviarium inculpet Philocratem, qui illas aves ipsis vendiderit:

ὃς τώδ' ἔφασκε νῷν φράσειν τὸν Τηρέα
τὸν ἔποφ' ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τῶν ὀρνέων.

Inferiorem versum sensu carere nemo non videt. Nam Fritzschius nescio quomodo explicare velit: *Qui rex avium factus est ab aviculis.* Sunt qui hanc interpretum crucem coniciendo tollere studuerint, ut Koechly *ἐξ ἀνδρῶν ποτε* scribens pro *ἐκ τῶν ὀρνέων.* At verba poetae mihi haec ab initio fuisse videntur:

ὃς τώδ' ἔφασκε νῷν φράσειν τῶν ὀρνέων
τὸν ἔποφ', ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τοῦ Τηρέως.

qui has dixit nobis indicaturas esse inter aves upupam, quae avis evasit e Tereo. Versuum enim exitus a scriba haud satis intellegente quae scriberet inter se mutati, iam sanam sententiam non exhibentes ab alio ita contorti sunt ac mutati, ut nunc in libris leguntur. Ad commendandum autem dicendi modum *τῶν ὀρνέων τὸν ἔποφ'* cf. Herod. VI 114: *ἀπὸ δ' ἔθανε τῶν στρατηγῶν Στησίλεως.*

Sed redeamus ad Lucium nostrum. Qui cum hospitio ab Hipparcho receptus ubi eius uxorem magica arte imbutam esse casu comperit, Hypatis manere nec prius Larissam proficisci statuit quam illam conspicatus esset artem magicam exercentem, id quod iam dudum habebat in votis. Quo quod ita proposuit assequeretur facilius, Palaestram, Hipparchi uxoris ancillam, se adamare simulans inter amoris amplexus ei persuasit, ut potestatem

Digitized by Google

sibi faceret dominam deprehendendi arte illa utentem. Nec non quod sibi contingere flagrantissime concupivit, id quam optime ei cessit. Interiectis enim aliquot diebus per ianuae foramen contemplari ei licet Hipparchi coniugem avis figuram induentem, cap. 12 *Ὁρῶ οὖν*, inquit, *τὴν μὲν γυναῖκα ἀποδυομένην. εἶτα γυμνὴ τῷ λύχνῳ προσελθοῦσα καὶ χόνδρους δύο λαβοῦσα τὸν μὲν λιβανωτὸν τῷ πυρὶ τοῦ λύχνου ἐπέθηκε κτλ.* Expunge glossema *τὸν μὲν λιβανωτόν*. Cuius modi interpretamenta in huius ipsius fabulae verbis complura etiam latent. Ut cap. 13 aeque suspectum est participium *ἀποδύσας*. Hipparchi enim uxor cum inter pyxidas, quas unguentis repletas sescentas fere numero in eius conclavi videre licebat, unam elegisset totumque corpus oblevisset, in corvum mutata evolavit. Quo novo et inaudito obstupefactus monstro Lucius Palaestram obsecravit, ut eandem pyxidem sibi traderet. Qua impetrata: *ἐγὼ δέ*, inquit, *σπεύδων ἤδη ἀποδύσας χρίω ὅλον ἐμαυτόν*. Notio exuendi, si Luciani eam esse voles, in mediam formam tibi convertenda erit, quae una ubique nostra exstat in fabula; cf. cap. 5 *ἀποδύου*, 9 *ἡ δ' ἀποδυσαμένη*, 12 *τὴν γυναῖκα ἀποδυομένην*, 14 *ἀποδύσῃ*, 20 *ἀποδυσάμενοι ἠλείφοντο*, 51 *ἀποδυσαμένη παρέσει*, 56 *ἀποδύομαι καὶ ἵσταμαι γυμνός*. At forsitan ea notio omnino non adiecta sit ab auctore, sed a correctore iniecta, qui verba illa cap. 12 animo teneret: *ὁρῶ οὖν τὴν γυναῖκα ἀποδυομένην*.

Unguento autem usus a Palaestra dato non corvus exstitit Lucius, sed asini membra induit; confuderat enim illa pyxidas. Iam vero Palaestra et ipsa errore suo perterrita miserum misere rudentem spe mulcebat humanam formam recuperatum iri, modo rosis postridie vesceretur. Sed — novum utinam di avertissent malum — fures per noctis umbram Hipparchi domum diripiunt Luciumque asinum, cui opes imponunt surreptas, secum abducunt. Qui frustra usque sperans se rosarum fruticem alicubi inventurum esse quot quantaque mala perpessus sit, praetermitto. Tandem simul cum virgine a latronibus rapta a militibus vi liberatus optimo uberrimoque pabulo a patre illius aliquamdiu sustentabatur. Deinde autem ab eodem rus missus, ubi absoluta libertate frueretur, a Megalopola vilici uxore rotas molares agere coactus est. Nonnunquam vero a vilico in equorum pascua admissus calcando mordendoque vexabatur a masculis equis. *ἀεὶ γάρ με*, inquit cap. 28, *μοιχὸν ὑποπτεύοντες εἶναι τῶν ἵππων τῶν ἑαυτῶν γυναικῶν κτλ.* Verba *τῶν ἵππων*

Digitized by Google

quis est quin in marginem remittat? Prorsus eadem sorte dignum repperi nuper additamentum in *Iudic. vocal.* 8. Ubi Σ littera de litterae *T* rapinis maximo incensa conqueritur, quod ab ea vel nomen *κίσσα* sibi eripiatur mutatum in *κίττα*. Cui voci adiectum si legemus *λάλον ὄρνεον*, vix ipsi tribuemus Luciano.

Quin etiam onera interdum a vilico imponebantur ferenda Lucio infelici, quem gravissimum sibi cruciatum fuisse affirmat cap. 29: *πρῶτον μέν*, inquit, *ὑψηλὸν ὄρος ἀναβαίνειν ἔδει ὀρθὴν* (Herwerdenius *ὀρθίαν*) *δεινῶς ὁδόν, εἶτα καὶ ἀνυπόδητος ὄρει ἐν λιθίνῳ*. Claudicat structura, nisi scripseris *ἀνυπόδητον* vel cum Dindorfio *ἀνυποδήτουν*. An exciderit fortasse ante praepositionem *ἐν* vocula *ἦν*?

Intermisso temporis spatio permultis cum Lucii laboribus doloribusque gravissimis domino repente mortuo furax ille vilicus correptis ablatisque rebus quotcunque potuit, longe aufugit asinumque cinaedis, Syriae deae sacerdotibus, vendidit, qui deae simulacro in dorso eius collocato per urbes vicosque migrabant mendicantes. Unde iniuria asinus cap. 37 et 38 *Θεοφόρητος* appellatur; nam qui deam fert, *Θεοφόρος* est, cum vox *Θεοφόρητος* enthusiasten significet divino numine afflatum. cf. Aesch. *Agam.* v. 1141 *φρενομανὴς τις εἶ Θεοφόρητος*.

Saepius etiam ab alio ad alium asinus transibat dominum, donec Meneclis factus est. Qui cum forte animadvertisset non tantum hominum cibis eum vesci, sed praeter vocem humanam omnia scire ac facere eadem atque homines, civibus suis, quibus in eo erat ut ludos institueret, bestiam monstravit mirificam asinoque in toro cubanti apparari iussit, quibuscunque rebus gaudere solent homines cenantes. Ubi ille, simulac rosas quoque conspexit, avidissime eas devoravit ac subito evasit qui ante fuerat Lucius. Inter eos autem, qui ad spectandum Meneclis asinum hominum instar cenantem frequentes convenerunt, venustissimam quoque mulierem fuisse ipse Lucius narrat cap. 50 *καί ποτε γυνὴ ξένη οὐ μέτρια κεκτημένη, τὴν ὄψιν ἱκανή, παρελθοῦσα κτλ.* At *ἱκανὴ γυνὴ* mulier est modice pulchra. Eadem igitur cum insequenti capite *πάντα καλή* denotetur, corruptum videtur ac perversum illud *ἱκανή* et restituendum priore quoque loco *τὴν ὄψιν καλή*.

Digitized by Google

DE SCHOLIS OLYMPIODORI

SCRIPSIT

LEOPOLDUS SKOWRONSKI

Quod nostrâ memoria in scholis doctorum saepe fieri solet, ut audientium erroribus praecepta illorum pessum dentur, hoc idem iam in scholis veterum philosophorum nonnunquam usu venisse hac scribendi occasione data exemplis quibusdam comprobare iuvat. Quae ex scholiis Olympiodori petivimus, quia haec nihil esse aliud nisi scholas ab Olympiodoro habitas et a discipulis eius in adversaria relatas pro explorato habemus. Apud Olympiodorum igitur *schol. in Platon. Alcib. prior.* 183, 16 ad 184, 21 ed. Creuzer. haec scripta videmus:

Πρᾶξις[1] *σὺν θεῷ κα.*

Ἆρα (scrib. *Ἄρα*) *οὖν φιλίαν λέγεις ὁμόνοιαν ἢ διχόνοιαν;* (Platon. *Alcib. prior.* p. 126 C) *Ἐπειδὴ τέλος ἔλεγεν ὁ Ἀλκιβιάδης τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης τὴν φιλίαν, ἀντιλέγει αὐτῷ ὁ Σωκράτης, οὐχ ὡς οὐ*[2] *βουλόμενος τέλος εἶναι καὶ αὐτὸς τὴν φιλίαν, ἀλλ' ὅτι ᾤετο τὸν Ἀλκιβιάδην μὴ ἠγεῖσθαι στοργὴν διακρίνειν ἀπὸ φιλίας, ἀλλὰ ταὐτὸν εἶναι. Δείκνυσι δὲ ὅτι καὶ ἡ ὁμόνοια φιλία ἐστί, καὶ ἐπ' εὐθείας καὶ διὰ ἀδυνάτου. Ἐπ' εὐθείας μὲν οὕτως. εἰ ἡ διχόνοια ἔχθρα ἐστίν, ἡ ὁμόνοια ἄρα φιλία· καὶ διὰ τοῦτο οὐ μόνον ἡ στοργὴ φιλία ἐστίν, ἀλλὰ καὶ ἡ ὁμόνοια. Διὰ*

---

[1]) Scholia Olympiodori in Platonis Alcibiadem priorem in *πράξεις* sive tractationes distincta sunt. Una quaeque tractatio inscribitur *πρᾶξις σὺν θεῷ*. Tractationes fere omnes bipartitae sunt, ut quae *θεωρίαν* sive totius, quae maxime illustratur, partis generalem contemplationem et *κατὰ μέρος ἐξήγησιν* sive interpretationem ad dignissimas quasque explicatu voces sententiasque spectantem contineant.

[2]) Hic locus liquido declarat verba schol. *in Platon Alcib.prior* p. 126 C *οὐχ ὡς βουλόμενος* in *οὐχ ὡς οὐ βουλόμενος* mutanda esse.

Digitized by Google

ἀδυνάτου δὲ οὕτως· εἰ ἀνὴρ καὶ γυνὴ μὴ ὁμονοοῦσιν, εἴ γε ἐλέγομεν ὁμόνοιαν τὴν τῶν αὐτῶν[1]) γνῶσιν, τὰ αὐτὰ δὲ οὗτοι (excidisse videri negantem particulam Creuzerus recte adnotat, nisi forte οὗτοι in οὕτι mutandum existimas) γινώσκουσιν, ὁ μὲν γὰρ οἴεται μὴ ὀφείλειν εἰδέναι τὰ περὶ ταλασιουργίας, ἡ δὲ τὰ ἱππικά, οἱ (sic ἀσυνδέτως et ἀνακολούθως) μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· ἀνὴρ ἄρα (scrib. ἄρα) καὶ γυνὴ οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· δῆλον δὲ ὅτι οὐχ ὁμονοοῦσι κατὰ τὸ προσεχὲς τέλος, καθ' ὅσον ὁ μὲν οἶδε τυχὸν ἱππικήν, ἡ δὲ ταλασιουργίαν· ἐπεὶ κατὰ τὸ πόρρω ὁμονοοῦσιν· ὁ μὲν γὰρ πολεμεῖ διὰ τὸ σῴζειν τὴν γυναῖκα· πρό τε παίδων γὰρ καὶ περὶ γυναικῶν (Homer. *Iliad.* VIII 57)· ἡ δὲ ταλασιουργεῖ πρὸς φυλακὴν τοῦ ἀνδρός, ἵνα μὴ φθείρηται ὑπὸ προσβολῆς τοῦ ἀέρος. Εἶτα λαβὼν ἐξ αὐτοῦ, ὅτι εἰ (scrib. ad cod. Leidens. fidem οἱ) μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους, δείκνυσιν, ὅτι οὐ δύνανται οἱ δίκαιοι καλῶς οἰκεῖν τὰς πόλεις, καὶ προσλαμβάνει λῆμμα ἐν δευτέρῳ σχήματι δεικνύμενον· οἱ τὰ αὐτῶν πράττοντες καὶ μὴ ἀλλοτριοπραγοῦντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· ἦν γὰρ τοῦτο τέλος τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης, ἡ φιλία καὶ ἕνωσις. Οἱ ἄρα τὰ αὐτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους. Τοῦτο τὸ συμπέρασμα λαβὼν συλλογίζεται προστιθεὶς ἔξωθεν ἄλλην πρότασιν· οἱ δίκαιοι τὰ αὐτῶν πράττουσιν· οἱ τὰ αὐτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις· οἱ ἄρα δίκαιοι οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις.

Haec scholarum Olympiodori auditor. In quibus multa sunt quae dialecticis vel mediocriter imbuti mirentur. Ac primum quidem hic locus eius generis est (183, 22—184, 5): *Δείκνυσι δέ, ὅτι καὶ ἡ ὁμόνοια φιλία ἐστὶ . . . διὰ ἀδυνάτου . . . οὕτως· εἰ ἀνὴρ καὶ γυνὴ μὴ ὁμονοοῦσιν, . . . οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· ἀνὴρ ἄρα καὶ γυνὴ οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Quae ratiocinatio cum *ad absurdum deductio* dicatur (*δείκνυσι διὰ ἀδυνάτου*), conclusio (*ἀνὴρ ἄρα καὶ γυνὴ οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*) absurda sit necesse est. Quo posito consequens est contrariam sententiam (*ἀνὴρ καὶ γυνὴ φιλοῦσιν ἀλλήλους*) veram esse. Mas igitur et femina inter se amant. Non autem consentiunt inter se (184, 2—3 *ὁ μὲν γὰρ οἴεται μὴ ὀφείλειν εἰδέναι τὰ περὶ ταλασιουργίας, ἡ δὲ τὰ ἱππικά*). Ex quo fit, ut qui inter se ament, tamen dissentire possint. Contrarium igitur hac deductione

[1]) Ex hoc loco emendari potest schol. *in Platon. Alcib. prior.* p. 126 C *ὁμόνοιά ἐστι γνῶσις τῶν αὐτογνωστῶν*, ubi *τῶν αὐτῶν γνωστῶν* scribendum esse nemo non videt.

Digitized by Google

efficitur atque propositum fuit. Dicitur enim Socrates *δεικνύναι ὅτι καὶ ἡ ὁμόνοια φιλία ἐστὶ διὰ ἀδυνάτου*, re autem vera planum facit consensionem cum amicitia necessario non esse coniunctam. Turpis hic error etiam iterum in eadem tractatione comparet. Haec enim auditor 188, 5--6 ad verba Platon. *Alcib. prior.* p. 126E *Οἴει ἂν οὖν, ὦ Ἀλκιβιάδη, ἄνδρα γυναικί* adnotat: *Ἐντεῦθεν ἐλέγχει καὶ παραδίδωσι τὴν διὰ ἀδυνάτου δεῖξιν δεικνύς, ὅτι καὶ ἡ ὁμόνοια φιλία.* At enim in ea, quae sequitur, tractatione ad eadem verba Platonis haec plane contraria adscripta sunt 194, 11—12: *δείκνυσιν, ὅτι ἔστιν στοργὴ ἄνευ ὁμονοίας.* Cui loco addendi sunt 194. 22—24 *δείκνυσιν, ὅτι ἐστι καὶ τὸ ἀνάπαλιν στοργὴ ἄνευ ὁμονοίας· ἀνὴρ γὰρ καὶ γυνὴ στέργουσιν ἀλλήλους, οὐ μὲν* (scrib. *μὴν*) *ὁμονοοῦσιν* et 195, 11—13 *δείξας δι' ἑνὸς ἀτόπου, ὅτι οὐ ταὐτὸν φιλία καὶ ὁμόνοια, ἀλλ' ἐπιπλέον ἐστὶν ἡ φιλία διὰ τοῦ δεῖξαι, ὅτι ἀνὴρ καὶ γυνὴ οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* et 193, 4—6 *δεικνύς, ὅτι ἡ φιλία καὶ τῇ ὁμονοίᾳ ὑπάρχει καὶ τῇ στοργῇ· εἴ γέ ἐστι φιλία θατέρου μόνου τούτων ὑπάρχοντος . . .* Ex his locis perspicuum est eum, quo de agimus, locum sic fere scribendum fuisse: *Δείκνυσι δέ, ὅτι [καὶ ἡ στοργὴ] καὶ ἡ ὁμόνοια φιλία ἐστί· καὶ [τὸ μὲν] ἐπ' εὐθείας [δείκνυσι, τὸ δὲ] διὰ ἀδυνάτου κτλ.* Nec tamen magis error librarii putandus est, quam qui in iis, quae sequuntur, comparent. Quorum proximus in hoc loco (184, 10—13) latet: *Εἶτα λαβὼν ἐξ αὐτοῦ, ὅτι οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους, δείκνυσιν, ὅτι οὐ δύνανται οἱ δίκαιοι καλῶς οἰκεῖν τὰς πόλεις.* Pro vera igitur ea ipsa propositione (*οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*) uti dicitur Socrates quam falsam esse ea quae antecedit ad absurdum deductione planum factum est. Nec minor est offensio, quod non apparet, quo modo propositio illa ad conclusionem *οὐ δύνανται οἱ δίκαιοι καλῶς οἰκεῖν τὰς πόλεις* pertineat, quod si esset, necesse foret alterum utrum propositionis terminum, aut subiectum *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες* aut praedicatum *φιλοῦσιν ἀλλήλους* vel *οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* in conclusione comparere. Quod cum contra sit, apparet non ex ea ipsa propositione, sed summum ex consequenti concludi potuisse, *ὅτι οὐ δύνανται οἱ δίκαιοι καλῶς οἰκεῖν τὰς πόλεις.* Sed ne sic quidem perspici potest, qualis fuerit rationis conclusio, quoniam altera propositio, quae cum priore termino medio coniugata rationem compleat, nusquam

Digitized by Google

comparet. Quare videndum est, ne ante *δείκνυσιν* et altera propositio et conclusio, quae cum propositione *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* ratam ratiocinationem effecerit, sit praetermissa. Quod si ita est, lacuna ratione ac via expleri potest. Etenim si quae omnino conclusionis praetermissae in iis quae sequuntur ratiocinationibus partes fuerunt, comparere eam conclusionem in propositionibus harum ratiocinationum necesse est. Cum autem conclusio illa ea re notabilis sit, quod alterum utrum propositionis *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* terminum necessario contineat, facili negotio reperiri potest. Et profecto in iis, quae sequuntur, huius modi propositio comparet. Est haec (184, 14—15): *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες καὶ μὴ ἀλλοτριοπραγοῦντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Hic igitur alter propositionis *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* terminus, praedicatum scilicet *οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*, comparet. Quare hanc esse conclusionem ante *δείκνυσιν* praetermissam veri simillimum est. Hoc autem probato consequens est etiam alteram propositionem et ipsam ante *δείκνυσιν* praetermissam investigari posse. Hanc enim necesse est nihil aliud nisi coniugationem duorum terminorum esse, quorum alter propositionis *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*, alter conclusionis *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* proprius sit. Duo igitur termini illi *οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες* et *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες* videntur esse. E quibus facile altera propositio conficitur: *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίρουσιν.* Qua restituta totus locus sic fere constituendus est: *Εἶτα λαβὼν ἐξ αὐτοῦ, ὅτι οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* [*καὶ προσθείς, ὅτι οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίρουσι, καὶ συμπεράνας ἐκ τούτων τῶν προτάσεων, ὅτι οἱ τὰ αὑτῶν ἄρα πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*] *δείκνυσιν, ὅτι οὐ δύνανται οἱ δίκαιοι καλῶς οἰκεῖν τὰς πόλεις.* Haec ne quis nos hariolari putet, adscribatur hic tractationis 22 (195, 13—22) locus: *Ἐντεῦθεν καὶ δεύτερον ἄτοπον ἐπάγει τῷ λόγῳ, ὅτι οἱ δίκαιοι οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις. Προάγειν δὲ δεῖ τὸν συλλογισμὸν οὐχ ὡς ἡ θεωρία ἐποίησεν ἐν πρώτῳ σχήματι, ἐπεὶ ἀτόπῳ διαλεκτικῷ ἐμπίπτομεν τῷ ἐξ ἀποφάσεων πλέκειν τὸν συλλογισμόν, ἀλλὰ δεῖ ἀναλῦσαι τὸ λεγόμενον εἰς προσυλλογισμοὺς καὶ συλλογισμούς. Προσυλλογίζεται γὰρ οὕτως· οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐχ ὁμονοοῦσι,*

Digitized by Google

διότι μὴ τὰ αὐτὰ γνωστὰ ἔχουσιν. οἱ φιλοῦντες ἀλλήλους ὁμονοοῦσιν· οἱ τὰ αὐτῶν ἄρα πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους. Ex his perspicuum est Olympiodorum in superiore *Θεωρίᾳ* ex propositionibus negativis ratiocinatione ad normam primae figurae instituta effecisse, *ὅτι οἱ τὰ αὐτῶν ἄρα πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Cum autem *πρᾶξις* sive tractatio 22, cuius haec verba sunt, *Θεωρίᾳ* omnino careat[1]), verba ea ad nullam aliam nisi ad *Θεωρίαν* tractationis 21, de qua agitur, referri possunt. Atqui in hac nulla est alia, in quam verba ea conveniant, ratiocinatio, nisi illa ipsa, quam modo restituimus, in qua et utraque propositio negativa est[2]), et ratio efficit *ὅτι οἱ τὰ αὐτῶν ἄρα πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Quare hanc emendationem satis certam putamus.

Quam autem nunc prolaturi sumus, ea etiam facilior videtur. Spectat ad locum 184, 13—17: *καὶ προσλαμβάνει λῆμμα ἐν δευτέρῳ σχήματι δεικνύμενον· οἱ τὰ αὐτῶν πράττοντες καὶ μὴ ἀλλοτριοπραγοῦντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· ἦν γὰρ τοῦτο τέλος τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης, ἡ φιλία καὶ ἕνωσις. Οἱ ἄρα τὰ αὐτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Ex his verba *λῆμμα ἐν δευτέρῳ σχήματι δεικνύμενον* liquido declarant auctorem ratiocinationem ad secundam figuram institutam prolaturum fuisse. Atqui deest altera propositio neque quae particula *ἄρα* indicatur conclusio mendo videtur carere, cum non modo idem subiectum verum etiam idem praedicatum atque propositio exhibeat, ut non tam conclusio quam inepta propositionis repetitio sit. Ac ne verba quidem *ἦν γὰρ τοῦτο τέλος κτλ.* ad ea quae antecedunt quadrant, scilicet quia propositio altera, cui apposita erant, excidit. Quae autem altera illa propositio fuerit, ex prioris propositionis et conclusionis comparatione facile cognoscitur, si modo conclusionem ipsam recte restitueris. Potest autem restitui, cum in iis quae sequuntur quasi digito demonstretur. Sequuntur enim haec: *Τοῦτο τὸ συμπέρασμα λαβὼν συλλογίζεται προστιθεὶς ἔξωθεν ἄλλην πρότασιν· οἱ δίκαιοι τὰ αὐτῶν*

[1]) Fugit hoc Creuzerum, qui suo Marte tractationem 22 in *Θεωρίαν* et *κατὰ μέρος ἐξήγησιν* distinguere voluit, cum 193, 4 formulam *Ἐν οἷς ἡ Θεωρία* inserendam esse suspicatus est. Sed ne in hac quidem *Θεωρίᾳ* falso a Creuzero statuta locus est, ad quem verba *ὡς ἡ Θεωρία ἐποίησεν* referri possint.

[2]) Quamquam non ignoro propositionem maiorem negativam videri potius quam esse, cum duae negationes inter se tollant.

Digitized by Google

πράττουσιν· οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις· οἱ ἄρα δίκαιοι οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις. Quodsi in hac convenienti et apta ratiocinatione Socrates conclusione rationis superioris pro propositione uti dicitur (*τοῦτο τὸ συμπέρασμα λαβών*), conclusionem eam alteram huius ratiocinationis propositionem esse necessarium est. Haec autem altera propositio *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις* est, non *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*. Auctor igitur ipse satis liquido declarat eam quae antecedat conclusionem *οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις* esse. Quam ob rem quoniam ratiocinationis, de qua restituenda agitur, non modo conclusio et altera propositio (*οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες καὶ μὴ ἀλλοτριοπραγοῦντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους*), verum etiam figura (*λῆμμα ἐν δευτέρῳ σχήματι δεικνύμενον*) cognita est, etiam ea quae excidit propositio restitui potest. Quam hanc fere fuisse necesse est: *οἱ εὖ οἰκοῦντες τὰς πόλεις φιλοῦσιν ἀλλήλους.* Itaque totus locus sic fere constituendus videtur: *καὶ προσλαμβάνει λῆμμα ἐν δευτέρῳ σχήματι δεικνύμενον· οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες καὶ μὴ ἀλλοτριοπραγοῦντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· [οἱ εὖ οἰκοῦντες τὰς πόλεις φιλοῦσιν ἀλλήλους]· ἦν γὰρ τοῦτο τέλος τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης, ἡ φιλία καὶ ἕνωσις. Οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις.* Sed divinari nihil opus est, cum eadem ratiocinatio et in eadem 21 et in proxima sive 22 tractatione repetatur. Conf. 190, 3—6: *τὸν συλλογισμὸν πλέκων οὕτως· οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· οἱ εὖ οἰκοῦντες τὴν πόλιν φιλοῦσιν ἀλλήλους· διότι τοῦτο τέλος τῆς πολιτικῆς· οἱ τὰ ἑαυτῶν ἄρα πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις* et 195, 22—26: *Προσυλλογισμὸς λαβὼν τὸ συμπέρασμα τοῦ συλλογισμοῦ· οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους· οἱ εὖ οἰκοῦντες τὰς πόλεις φιλοῦσιν ἀλλήλους· οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις.*

Sed quoniam, quam descripsimus, scholiorum Olympiodori partem emendavimus, nunc quis auctor mendorum fuerit, quaerendum videtur. Atque librarius si maxime aliquid neglexit, fortasse propositionem *οἱ εὖ οἰκοῦντες τὰς πόλεις φιλοῦσιν ἀλλήλους* ante verba *ἦν γὰρ τοῦτο τέλος κτλ.* praeteriit *ὁμοιοτελεύτῳ*, ut videtur, deceptus. Quamquam vel hanc lacunam codex Leidensis aeque atque Hamburgensis exhibet. Cetera, quae desunt, auditoris culpa praetermissa videntur, qui et ipse homoeoteleutis aeque ac librarius falli potuit. Cuius errores quo facilius perspiciantur, totum soriten apponere iuvat:

Digitized by Google

οἱ μὴ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίροντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους·
οἱ τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ τοῖς αὐτοῖς γνωστοῖς χαίρουσιν·

οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους·
οἱ εὖ οἰκοῦντες τὰς πόλεις φιλοῦσιν ἀλλήλους·

οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις·
οἱ δίκαιοι τὰ αὑτῶν πράττουσι·

οἱ ἄρα δίκαιοι οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις.

Ex his tribus ratiocinationibus, quas non satis distingueret, auditor secundae conclusionem cum prima confudit *οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐ φιλοῦσιν ἀλλήλους* scribens, ubi *οἱ ἄρα τὰ αὑτῶν πράττοντες οὐκ εὖ οἰκοῦσι τὰς πόλεις* scribere debebat. Ac ne Olympiodorus quidem extra culpam fuisse videtur, id quod falsa de deductionis ad absurdum vi et auctoritate sententia bis repetita et falsae propositionis inductio declarant. Sed certissimum culpae Olympiodori indicium puto, quod ipse totam illam Alcibiadis dialogi partem, quam tractatione 21 obscuravit potius quam illustravit, tractatione 22 de integro retractat. Utraque enim tractatio in explicandis Platon. *Alcib. prior.* p. 126 C — p. 127 E haeret. Quod quo facilius perspiciatur, initium tractationis 22 adscribo. Est hoc:

Πρᾶξις σὺν θεῷ κβ.

Ἆρα (scrib. *Ἄρα*) *οὖν φιλίαν λέγεις ὁμόνοιαν ἢ διχόνοιαν;* (Platon. *Alcib. prior.* p. 126 C). *Ἐπειδὴ τέλος ἔλεγεν ὁ Ἀλκιβιάδης τῆς πολιτικῆς ἐπιστήμης τὴν φιλίαν, ἐντεῦθεν ἐλέγχει τοῦτον ὁ Σωκράτης, οὐχ ὅτι οὐ βούλεται τοῦτο. ἀλλὰ νομίζων κτλ.*

Haec Olympiodorus. Quibus ipse fateri videtur ea, quae in proximo consessu dixerit, nihili fuisse. Quo modo autem in hac nova tractatione se ipse correxerit, iam supra suis locis demonstravimus.

Digitized by Google

AUGURALIA

SCRIPSIT

PAULUS REGELL

I.

Mar. Victorin. p. 26 K. *sorix vel saurix avis tributa Saturno ab auguribus, quia tarditati et vetustati et senectuti convenit: nam et in veteranis maxime versatur locis* [*et noctium est*] *et noctis est maxime primae et quia tempestatis nuntius atque index est parvi laris.* Saurix avis, quam omnes quod sciam recentiores receperunt, neque in auguralium avium numero qui erat definitus neque alibi usquam in sermone Latino exstat. Contra eiusdem nominis murem summi in auspiciis momenti fuisse quis est quin sciat? Exempli gratia cf. Plin. *n. h.* VIII 223: *soricum occentu dirimi auspicia annalis refertos habemus.* Val. Max. I 1, 5: *occentusque soricis auditus Pabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuit.* Quod cum sauricis nomen atque soricis idem esse pateat (cf. Serv. *Georg.* II 30. III 278 et glossaria apud Du Cangium), quin pro *avis* scribendum sit *mus* equidem non dubitandum censeo.

II.

Fest. p. 344 a: *Spiciunt antiquos di*[*xisse sine praeposi*]*tione testis est Cato in ea quam* [*habuit in Q. Thermum de*] *septem hominibus: Ut solent* [*evitare son*]*ivios nisi qui sempiterni sunt quos* [*cum occur*]*rant nec spiciunt neque ratos* [*esse volunt.*] Ad haec Muellerus: *Sed*

Digitized by Google

obscurum tamen qui ii sint sonivii sempiterni. Atque reapse de *sempiternis* soniviis nihil usquam nobis traditum est. *Sonivium* autem idem significare quod *sonans* ba eodem Festo docemur p. 290a 31 v. *sonivio* et p. 297b 19 v. *sonivium tripudium.* Quodsi vulgarem sempiterni significationem sequamur, *sempiternum sonivium* (signum), h. e. aut quod semper sonet aut semper adsit sonans, quid sibi velit vix perspici poterit Quapropter ego aliam lectionem potius quam emendationem proposuerim *semel terni,* ita ut *semel,* id quod non ita raro evenit, proxime ad *simul* vocem notione accedat: qua lectione saltem optimus sensus restituitur. Nam quamquam de augurali ternionis significatione nihil constat, — quae Servius *Buc.* 8, 75 de Iovis trifido fulmine ait, aut posteriorum temporum aut alienae superstitionis videntur esse — numerum tamen auguralium signorum non sine dignitate fuisse vel ex Romuli augusto augurio satis apparet. Praeterea ne lacuna quidem eius de quo agitur loci apud Muellerum recte mihi esse suppleta videtur. Nam ne moneam quam inepte illa *quos cum occurrant . . . . esse volunt,* quae verba ad sonivios referenda sunt, post interiectam enuntiationem posita sint, ipsos sonivios fuisse evitandos ut mala signa minime credendum est. Immo sonivia aut eadem auspicia erant atque tripudia aut pars horum: cf. Fest. p. 297b 19: [*soni*]*vium tripu*[*dium, ut ait Appius*] *Pulcher, quod* [*sonet, cum pullo exci*]*dit puls quadr*[*upedive . . .*]. Tripudia autem usque quaque ratum fecisse omnes consentiunt. Fest. p. 298b 26 v. *sollistimum.* Cic. *de div.* I 15, 28. Serv. *Aen.* VI 198. Paul. p. 244 v. *puls.* Unde efficitur non commode suppletum esse *evitare,* quae vox et colore augurali caret et notione claudicat. Nam *evitare* non poterant augures oblativa auspicia, sed si quae minus placebant *ad se non pertinere dicebant* (Serv. *Aen.* XII 259; V 530. Plin. *n. h.* XXVIII 17), id quod hoc loco verbis *nec ratos esse volunt* significatur. Neque aliter verba *nec spiciunt* intellegenda sunt. Iam cum sonivia ut bona signa impetrienda potius quam evitanda fuisse videantur, me quidem iudice hanc fere in sententiam Festi locus restituendus est: *Ut solent* [*impetrire son*]*vios nisi qui semel terni sunt quos* [*cum occur*]*rant nec spiciunt neque ratos* [*esse volunt*].

Digitized by Google

III.

Minus confidenter aliam coniecturam protulerim. Fest. 298b 26: *sollistimum Ap. Pulcher in Auguralis disciplinae l. I ait esse tripudium, quod avi excidit ex ore, quod illa fert: saxumve solidum aut arbos viviradix ruit, quae nec prae vitio humani caedanturve iacianturve pellanturve.* Verba *prae vitio* mihi non probantur, qui et in usu praepositionis et in sententia offendam. Mihi legenti relegentique locum semper in illis verbis una vox videbatur latere. Fortasse scribendum sit *praevortio*, quae sane mera coniectura est. Nam *praevortium* alio loco non invenitur: sed et recta analogia conformatum est et optimum praebet sensum. Alia autem via atque coniectura huius loci vitio succurri posse non puto. Comprobata quam tulimus coniectura utrum pro *humani* quod Farnesinus habet corrigendum sit *humano* (sc. praevortio) an *humanave vi*, quod auctoribus A. Augustino et Ursino recepit Muellerus, in medio relinquo.

IV.

Auguralem consuetudinem nonnulla exhibere a vulgari sermone discrepantia, antiquioris pleraque usus vestigia, quis est qui miretur? Atque hoc loco de *ob* praepositionis usu augurali quae adnotentur digna licebat mihi nonnulla paucis attingere. Quam enim in pluribus verborum compositis habet notionem, ut malam sive adversam actionem indicet, in augurum sermone unam videtur retinuisse. Donat. *ad Ter. Adelph.* IV 2, 8: *qui malam rem nuntiat, obnuntiat, qui bonam, adnuntiat, nam proprie obnuntiare dicuntur augures qui aliquid mali ominis scaevumve viderint.* Ab illo verbo frequentissimum obnuntiationis nomen derivatum est. Atque ut hoc loco *ad* in compositis bonum aliquid significat, sic etiam invenitur in auguralibus verbis addicendi, admittendi, quae rata auspicia indicant. Sed ut ad *ob* praepositionem redeamus, vitium augurale *obvenit* Cic. *Phil.* II 33, 83. Liv. VIII 23, 16. Itaque etiam iuges auspicium, quoniam malum erat, obvenire dicitur apud Cic. *de div.* II 36, 77: *nos augures praecipimus, ne iuges auspicium obveniat, ut iumenta iubeant diiungere.* Diras Plinius appellat *obstrepentes n. h.* XXVIII 11. Similiter de avibus *occinendi*

Digitized by Google

verbum usurpatur a Liv. VI 41, 8: *quid enim est, si pulli non pascentur, si ex cavea tardius exierint, si occecinerit avis.* Itemque soricum *occentus* commemoratur locis iam allatis Plin. VIII 223, Val. Max. I 1, 5. Quod igitur bona idem verbum significatione adhibet Livius X 40, 14 *corvus clara voce occinuit* eodem sensu quo *procanendi* verbum apud Umbros in usu erat (Tab. Eugub. VI a 16: *sve anclar procanurent* cl. nota Bréalii p. 53 et Buecheleri *Umbrica* p. 49), non perite videtur loqui. In priore Livium loco ut antiquiorem formam perfecti sic etiam notionem genuinam servasse putaverim: nam vere auguralis forma *occanerit* s. *occinerit* sonuisse videtur. cf. Fest. p. 270a v. *sumentum: si interim avis canerit* cl. Umbrica forma *procanurent.* Postremo etiam *obtinere,* quod longe aliam in communi sermone induit vim, hanc auguralem praepositionis notionem profert. Gell. XIII 15, 4: *Ideo neque consules aut praetores censoribus neque censores consulibus aut praetoribus turbant aut retinent auspicia; at censores inter se, rursus praetores consulesque inter se et vitiant et optinent.* Etenim *vitiant et optinent* quid aliud est nisi quod paullo ante dictum erat *turbant aut retinent?* Retinendi autem verbum etiam apud Plinium *n. h.* X 49 eodem significatu reperitur. His expositis facile apparet loco Festi supra laudato (p. 344a v. *spiciunt*) optime suppletum esse [*occur*]*rant,* quia de malo signo agitur.

V.

Novum signorum genus augurum disciplinae tribuitur Servii testimonio *ad Aen.* IX 20: *In auguralibus libris inter ostenta etiam caelum dixisse dicitur.* Agitur de certa tempestatis specie, quam Latini *discessum caeli,* Graeci χάσμα appellabant, Servius ipse sic interpretatur: *Discedere caelum: chasma dicit factum, i. e. subitam aëris disruptionem et quendam recessum . . . Sane chasma est, ita enim Plinius vocat, disruptio et quidam caeli recessus* (al. *discessus)* cf. Plin. *n. h.* II 96. Sen. *quaest. nat.* I 14. Si fides est habenda Servio, verum *ostentum* fuisse hoc signum, sine ulla dubitatione augurali disciplinae abiudicandum est et, si quidem verbis Servii his *inter ostenta . . . dicitur* signorum enumeratio quadam συστήματος

Digitized by Google

forma significatur, hanc in libris auguralibus fuisse veri est minime simile. Nam augurali disciplinae quid rei est cum ostentis? Malus quidem auctor, Incertus Huschkii qui vocatur, p. 4 haec habet: *collegium augurum ordo hominum prudentum est qui prodigiis publicis praeerant.* Testimonium vile, quod imperitiam auctoris prodit. At Huschke haec adnotat p. 139: *haec definitio non magnopere placet. Tametsi enim de prodigiis etiam augures aditi sunt interdum (Liv.* II 42*), plerumque enim pontifices, tamen longe latius patuit auguralis disciplina, cuius partes explicat Cic. d. legg. l. c.* [II 8] *Cum nostro tamen facere videtur Dionysius antiqq.* II 64: *τὴν δὲ τετάρτην τοῖς ἐξηγουμένοις τὰ θεόπεμπτα σημεῖα καὶ διαιροῦσι, τίνων ἐστὶ μηνύματα πραγμάτων ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ.* Hoc tempore nemo Huschkio, ne ipse quidem sibi adsentiatur. Livii *vates* (nam augures non nominat) non esse augures iam dudum monuit Rubino *Untersuchungen über römische Verfassung und Geschichte* I p. 50 n. 2, cf. Weissenborn *ad Liv.* l. l. Dionysii autem *μηνύματα πραγμάτων* quamquam latine sunt *ostenta, portenta,* tamen ne nauci quidem habenda sunt; nam quid verbum in Graeco homine, qui bono ille quidem auctore usus est, sed auguralis cum disciplinae tum consuetudinis imperitissimus fuit? Nobis standum est in peritorum testium auctoritate, Ciceronis Varronis Verrii: hi vero praefracte negant ullam fuisse augurum disciplinae seu libris cum ostentis rationem. At fortasse peccaverit Servius in verbo et auctoris sui *auspicium* vel *augurium* mutavit nomine *ostenta.* Neque enim tam acriter fines Romanae et Tuscae disciplinarum perspexit, ut in verborum usu ita sit diligens; omnia exemplorum plena. Sed quamquam augurii et auspicii verbis saepissime res ab augurii disciplina alienas significavit, ostenti tamen notione auguralem rem ullo loco eum significasse non invenio. Verum optimo iudice quaestio potest absolvi. Cicero *de div.* II 28, 60 caeli discessus mentionem facit inter portenta cl. § 61, itemque ib. I 43, 97, ubi addit haec: *quibus portentis magna populo Romano bella perniciosaeque seditiones denuntiabantur; inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant.* Ib. I 44, 99: *idem contra ostenta nihil disputat exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse et discessisse caelum . . .* Neque igitur dubium est, quin verum apud Servium ostentum habeamus. Quod si ita est, non possumus iudicare in auguralium

Digitized by Google

signorum enumeratione illud signum fuisse, id quod ex Servii verbis videtur esse colligendum. Immo haruspicum libris ostentum illud adsignandum est auctore Cicerone. Quapropter pro *auguralibus libris* corrigendum est *fulguralibus libris;* qua mutatione suus ostento locus restituitur. Neglegentiorem autem librarium pro libris satis raris *fulguralibus* frequentiores *augurales* legisse profecto minime est mirandum.

Digitized by Google

DE ROMANORUM PRECATIONUM CARMINIBUS

SCRIPSIT

RUDOLFUS PETER

Aliquot ante annos cum Fridericus Ritschelius versus Saturnii leges ad illud tempus haud recte intellectas ex monumentorum exemplis constituisset[1]), mox poesis Saturniae spicilegium proponens vocem *carmen* pro significatione sermonis numeris adstricti poni autumavit abiecta vulgari opinione, qua veteres non vinctam tantum orationem sed etiam formulas conceptis verbis pedestri oratione compositas carmina dixisse putabantur; itaque cum Saturnio versu nullum antiquiorem apud Romanos putaret, vetustissima Romanorum carmina ad hunc numerum rettulit affirmavitque se in multis carminibus a scriptoribus, praesertim a Livio et Macrobio, ipso carminis vocabulo addito traditis Saturnio numero vindicandis prospera fortuna usum esse.[2]) cui sententiae adversatus est Henricus Düntzer, qui quamquam non potuit non concedere proprio sensu carmen esse id quod caneretur i. e. poetico quodam instinctu pronuntiaretur, tamen mira ratiocinandi perversitate contendit numerorum cogitationem ab hoc vocabulo omnino alienam esse et quicquid prosae orationis cotidianae consuetudinis ieiunitatem excederet id appellari

---

[1]) *Titulus Mummianus*, prooem. ind. scholar. aestiv. Bonnens. a. 1852 p. I sq. = *Opusc. acad.* IV p. 83.

[2]) *Poesis Saturniae spicilegium I*, progr. Bonnens. a. 1854 p. 4 sq. = *Opusc.* p. 298 sq. significaverat autem breviter quid de hac re sentiret in *Mus. Rhen. nov.* IX p. 7 = *Opusc.* p. 220. omnino Livium vir doctissimus *feracem numerorum quantumvis rudium h. e. Saturniorum* esse credebat inque eius libris multis locis *numeros subesse, ubi indicium metri nullum Livius in veterum monumentorum verbis afferendis faceret;* cf. *Anthologiae latinae corollarium epigraphicum*, prooem. ind. schol. aestiv. Bonnens. 1853 p. III = *Opusc.* p. 238 *Poes. Sat. spic.* p. 4 = *Opusc.* p. 298.

Digitized by Google

carmen[1]). Ritschelio deinde patrocinatus est Otto Ribbeckius ita, ut non solum poesis Saturniae reliquiis ab illo palam propositis applauderet, sed etiam carmina aliquot Liviana et Macrobiana, quae Ritschelius esse Saturnia haud obscure portenderat, metro adstringendi periculum faceret.[2]) postea ab altera parte Düntzerus iterum sententiae suae defensor exstitit[3]) atque adsentientem Corssenum[4]) nactus est. de versu Saturnio varie viri docti invita interdum Minerva scripserunt[5]), in hoc vero omnes fere inde a Ritschelio consentire videntur, quod hunc Latinorum antiquissimum patriumque numerum esse credunt: re vera non esse praestantissimo Rudolfi Westphali invento declaratum est.[6]) perspexit enim vir doctissimus vetustissimo tempore Italos in hunc modum carmina sua condidisse, ut ea longis quos in re metrica veterum Germanorum dicere solemus componerent versibus hisce legibus subiectis, ut syllabarum quantitatis ratione non habita et servato vetere sono verborum syllabis primitivis addito (quem logicum dicimus) efficerentur series quaternarum arsium in solis vocabulorum sonis consistentium thesibus numero non definitis et saepe partim omnibusve oppressis, et ut binae series versu

---

[1]) *Das Wort carmen als Spruch, Formel, Lehre. Ein Sendschreiben an August Böckh zur Feier des 24. November* 1856, in *Ztschr. f. d. Gymn. Wes.* XI p. 1 sqq.

[2]) *Annal. philol. nov.* LXXVII 1858 p. 199 sqq., cf. eiusdem *Quaestiones scaenicae* p. 348. Saturnio numero aut tota aut aliqua ex parte restituit carmina Fetialium Liv. I 32, carmen rogationis ib. III 64, perduellionis *legem horrendi carminis* ib. I 26, carmina evocationis et devotionis Macrob. III 9; carmina Marciana autem Liv. XXV 12. Macrob. I 17, 28 hexametris descripsit.

[3]) *Zur Lehre vom saturnischen Verse, Phil.* XXVIII 1869 p. 230 sqq., cf. XXX 1870 p 444 sqq.

[4]) *Ausspr.* II² p. 962 adn. assecla horum etiam H. Iordanus est *Kritische Beiträge zur Geschichte der latein. Sprache* Berol. 1879 p. 178 sqq. cf. Madvigius *Verfassung und Verwaltung des röm. Staates* II Lips. 1882 p. 595: *Charakteristisch für alle gottesdienstlichen Handlungen bei den Römern war strenge, die geringsten Einzelheiten umfassende Bestimmtheit in Form und Wort (ritus, rite, verba concepta, carmen).*

[5]) cf. Corssenus l. l. Teuffelius *Lit. rom. hist.*⁴ § 62. L. Havetus *De Saturnio Latinorum versu* Paris 1880 p. 455 sqq., qui Garruccium *Sylloge inscript. latinar. aevi Romanae rei publicae usque ad C. Iulium Caesarem plenissima* Aug. Taurin. 1877 p. 37 sqq. et H. Buchholtzium *Priscae latinitatis originum libri III.* Berol. 1877 p. 311 sqq. omisit.

[6]) A. Rossbach und R. Westphal *Metrik der Griechen* II² p. 36 sqq.

Digitized by Google

longo conecterentur ita, ut et hemistichia et toti versus verborum sententiis se accommodarent: posse tamen hemistichia interdum etiam singulatim poni. quibus accedit alliterationis usus haud eadem legis severitate adstrictae illius quidem, sed qua saepissime vocabula vel vicina vel verbis seiuncta distinguantur et inter se coniungantur opponanturve.[1]) intellectum igitur est in versibus pangendis veteres Italos cum veteribus Germanis proxima cognatione coniunctos esse[2]). novae vero doctrinae insigne exemplum Westphalius proposuit tabulae Iguvinae VI B 57 sqq.[3]) precationem, cui subiunxit eam qua Cato *de agric.* 141 agricolam in fundi lustratione Martem patrem precantem facit, tanta in utraque restituendi facilitate et elegantia, ut hac re totam veritatem adeptus esse comprobetur.[4]) quamquam

[1]) Westphalius p. 36: *Es ist das freilich kein den ganzen Vers durchdringendes Gesetz; nur von Zeit zu Zeit sehen wir zwei, bisweilen auch drei Wörter, auf denen ein besonderer logischer Nachdruck ruht, meist in unmittelbarer Folge, aber auch bisweilen, wenn sie durch Wörter von einander getrennt sind, mit demselben Anlaute versehen.*

[2]) ib. p. 37: *Dagegen fügt sich Alles dem Masse der altgermanischen Langzeile (resp. Kurzzeile), wenn auch in der Vertheilung der Alliteration eine andere Norm angewendet ist.*

[3]) M. Bréal *Les tables Eugubines* p. XLVI. F. Bücheler *Umbrica* Bonn 1883 p. 98–101.

[4]) carmina haec sunt

Serfe Martie
Prestota Serfia | Serfer Martier
Tursa Serfia | Serfer Martier
totam Tarsinatem | trifo Tarsinatem
Tuscom Naharcom | Iabuscom nome
totar Tasinater | trifor Tarsinater
Tuscer Naharcer | Iabuscer nomner
nerf sihitu | an-sihitu
iovie hostatu | an-hostatu
tursitu tremitu | hondu holtu
ninctu nepitu | sonitu savitu
preplotatu | previlatu.

Mars pater te precor
quaesoque uti sies | volens propitius
mihi, domo | familiaeque nostrae.
quoius rei ergo
agrum terram | fundumque meum
suovitaurilia | circumagi iussi,
uti tu morbos | visos invisosque

Digitized by Google

a sacerdotibus condita essent.[1]) et cum Romani in rebus ad deorum cultum pertinentibus tanto essent antiquitatis retinendae studio, ut exempli gratia etiam Ciceronis Horati Quintiliani temporibus pontificum libri summae vetustatis effigiem praeberent[2]), magna nimirum spes erat in precationibus quae certis argumentis sacerdotibus tribui possent[3]) veterem poesis sacrae morem servatum esse. neque deterritus sum Iordani asseveratione nude iacta[4]) in precationibus nusquam nec poeticum colorem nec versus apparere; nam verborum elegantiam non quaerebam, de metrica ratione ut cogitarem illud ipsum adducebat, quod precationes non semel a scriptoribus *carmina* dicuntur.[5]) neque spes me fefellit; contigit enim ut apud scriptores nonnulla Italici rhythmi carmina reperirem, de quibus breviter, ut necessitas flagitat, exponam.

Iam ut a Catone ordiar, Düntzerus[6]) Westphalium cavillatus est, quod non ceteras quoque precationes a Catone maxime c. 134 et 139 descriptas versibus inclusisset; nempe diffisus est illi

---

[1]) hoc in Umbricis carminibus per se apparet; Catonem autem sacrificiorum ritus c. 132. 134. 139. 140. 141 praeceptos e pontificum libris petivisse optime E. Lübbertus *Commentationes pontificales* Berol. 1859 p. 8 sq. A. Bouché-Leclercqius *Les pontifes de l'ancienne Rome* Paris. 1871 p. 70 I. Marquardtius *Staatsverw.* III p. 172 adn. 7 intellexerumt.

[2]) Cic. *de or.* I 43. Hor. *ep.* II 1, 18 sqq. Quintil. VIII 2, 12 cf. Marius Victorin p. 12 K.

[3]) comprecationes deorum quae ritu Romano fierent expositas fuisse in libris sacerdotum populi Romani Gellius XIII 22, 1 narrat, et sacerdotes publicos magistratibus precantibus verba praeire solitos esse nota res est, cf. locorum collectionem apud B. Modestowium *Der Gebrauch der Schrift unter den römischen Königen* Berol. 1871 p. 49 et Marquardtium *Staatsverw.* III p. 172.

[4]) l. l. p. 181 sq.

[5]) Liv. XXXIX 15 *sollemne carmen precationis, quod praefari priusquam populum adloquantur magistratus solent.* Valer. Max. IV 1, 10 de Africano: *qui censor eum lustrum conderet inque suovitaurilium sacrificio scriba ex publicis tabulis sollemne ei precationis carmen praeiret . . . protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit.* Seneca *consol. ad Marc.* 13, 1 consecrationis precationem *sollemnia pontificalis carminis verba* dicit. ceteros locos dabit Düntzerus *Das Wort carmen* sq. p. 9 sq. cf. Hor. *c.* I 2, 26 sqq.

prece qua fatigent
virgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?

Serv. *Aen.* VIII 260 [. . . *cum ipse Hercules rem divinam faciens preces praecaneret, quas Potitius diceret sq.*].

[6]) *Philol.* XXVIII p. 231.

Digitized by Google

praeter Ioannem Huemerum[1]) et Fredericum Allenium[2]) viri docti antiquissimum hoc carminum Italicorum genus neglexerunt vel etiam irriserunt[3]) inveteratam scilicet de Saturnii numeri origine sententiam amplexi.[4]) at circumspiciendum potius erat, num alia praetera carmina domestica arte composita in litteris exstarent. hoc mihi munus suscipienti illud maximi momenti esse videbatur quod Umbrorum et Romanorum carmina quae dixi

---

viduertatem | vastitudinemque
calamitates | intemperiasque
prohibessis, defendas | averuncesque;
utique tu fruges frumenta, | vineta virgultaque
grandire duenegue | evenire siris,
pastores pecuaque | salva servassis;
duisque duonam salutem | valetudinemque
mihi, domo | familiaeque nostrae:
harumce rerum ergo
fundi, terrae | agrique mei
lustrandi lustrique | faciendi ergo,
sic uti dixi,
[*Mars pater*] *macte | hisce lactentibus*
suovitaurilibus | immolandis esto.

[1]) *Untersuchungen über die ältesten lateinisch-christlichen Rhythmen.* Vindob. 1879 p. 1 sqq.

[2]) *Ueber den Ursprung des homerischen Versmasses*, in *Ztschr. f. vgl. Spr. F.* XXIV 1879 p. 581 sqq.

[3]) Düntzerus in *Philol.* XXVIII p. 230 sq. Iordanus l. l. p. 167 sqq.: *Zur Beurtheilung der ältesten sacralen Poesie.* § 1 *Alliteration und Stabreim.* de Iordano iudicium cui adsentiar fecit Huemerus l. l. p. 2 adn. 4.

[4]) Saturnium consentaneum est Graecanicae artis metricae in linguae Latinae asperitatem ingruentis vetustissimum esse documentum, quippe qui syllabarum quantitatem sequatur et verborum sonum e poesi repellere studeat. cum id haud intellegerent, in hoc versu verborum sonum dominari putaverunt cum alii tum Teuffelius *Annal. philol. nov.* LXXVII 1858 p. 281, C. Fr. Hermannus *Culturgeschichte der Griechen und Römer* II p. 57, et ipse Westphalius antea in hac sententia fuit *Ueber die Form der ältesten römischen Poesie.* Tubing. 1852 p. 50 sqq. novissimo tempore hanc opinionem amplexus est O. Kellerus *Der saturnische Vers als rythmisch erwiesen.* Lips. 1883. haud ignoro hodie neminem fere credere Latinos Graecorum arte metrica magistra syllabas ponderare didicisse, cum statim ab initio eos ad syllabarum mensuras versus fecisse censeant; cf. Corssenus *Auspr.* II[2] 948 sqq. iam vero non solum hoc secus se habere Westphali beneficio scimus, sed etiam demonstravit (p. 40 sqq.), qua ratione Saturnius versus e longo Italorum versu natus esset.

Digitized by Google

in his rem suam feliciter gerere licere. sed haec incautius quam verius prolata sunt, nam istae quoque preces domestico Italorum rhythmo compositae sunt.[1]) ut agricolae lucum conlucanti c. 139 hoc precationis carmen praecipit[2]):

si deus si dea es | quoium illud sacrum est,
ut tibi ius est | porco piaculo
facere illiusce sacri | coercendi ergo,
harumque rerum ergo
sive ego sive quis | iussu meo fecerit,
uti id recte | factum siet;
eius rei ergo
te hoc porco | piaculo inmolando
bonas preces | precor uti sies
volens propitius | mihi domo
familiaeque meae | liberisque meis.
harumce rerum ergo
macte [istoce] | porco piaculo
inmolando esto.

in quo quasi precandi τύπους adhibita vides hemistichia *harumce rerum ergo, eius rei ergo, volens propitius, mihi domo, precor uti sies* et alliterationis usum deprehendis in vocibus *si deus si dea es, porco piaculo, preces precor.* damni tamen aliquid v. 13 tulisse videtur, ubi pro *macte hoc* quod e codicibus editum est *macte istoce* posui, cf. *macte istace dape* in Iovis Dapalis precatione. deinde in agri lustratione facienda antequam Martem precentur, is qui suovetaurilia circumagit iubetur hoc carmine uti[3]):

cum divis volentibus | quodque bene eveniat,
mando tibi | Mani uti illace
suovitaurilia | fundum agrum
terramque meam | quota ex parte
sive circumagi | sive circumferenda
censeas uti | cures lustrare.

---

[1]) recte id Allenius l. l. p. 586 indicavit, sed non persecutus est.

[2]) *lucum conlucare Romano more sic oportet. porco piaculo facito, sic verba concipito si deus . . . esto.* textum ut par est Keilianum adhibeo.

[3]) c. 141 *agrum lustrare sic oportet. imperа suovitaurilia circumagi: cum divis . . . lustrare. Ianum Iovemque vino praefamino. sic dicito Mars pater te precor sq.*

Digitized by Google

animadvertas alliterationes *mando . . Mani, circumagi . . circumferenda, censeas . . cures.* de altero v. 6 hemistichio dubitari possit num rhythmo sufficiat *censeas uti;* omnem dubitationem levis mutatio *uti tu* eximet, cf. in Martis precatione v. 7 *uti tu morbos.* in v. 5 quod Keilius suspicatus est legendum esse *circumagi iubes*, nullam necessitatem eum in hanc opinionem duxisse arbitror.

Neque ceterae quidem precationes illis quas tractavimus breviores rhythmi Italici legibus alligari non patiuntur. veluti Iovem Dapalem his carminibus precantur [1]):

Iuṗiter Dapalis
quod tibi fieri | oportet in domo
familia mea | culignam vini dapi
eius rei ergo
macte illace dape | pollucenda esto.

Iupiter Dapalis
macte istace dape | pollucenda esto,
macte vino | inferio esto

et in porcae praecidaneae immolatione preces sic concipiunt [2]):

Iane pater
te hac strue | ommovenda
bonas preces | precor uti sies
volens propitius | mihi liberisque meis
domo familiaeque meae.

Iane pater
uti te strue | ommovenda
bonas preces | bene precatus sum,
eiusdem rei ergo
macte vino inferio esto.

Iupiter
te hoc ferto | obmovendo
bonas preces | precor uti sies
volens propitius | mihi liberisque meis
domo familiaeque meae.
mactus hoc ferto.

Iupiter
macte isto | ferto esto
macte vino | inferio esto.

[1]) c. 132 *dapem hoc modo fieri oportet. Iovi Dapali culignam vini quantam vis polluceto. eo die feriae bubus et bubulcis et qui dapem facient. cum pollucere oportebit, sic facies Iupiter . . . pollucenda esto. manus interluito, postea vinum sumito: Iupiter . . . inferio esto. Vestae si voles dato. daps Iovi assaria, pecunia, urna vini. Iovi caste profanato sua contagione.*

[2]) c 134 *priusquam messim facies porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porco femina, priusquam hasce fruges condas far, triticum,*

Digitized by Google

per se apparet in tantillis precibus alliterationis frequentiam requiri non posse; insignita ea sunt verba *preces precor, mihi liberisque meis, bonas preces | bene precatus.* pontifices in precationibus dicere solitos esse *macte hoc vino | inferio esto* apud Serv. *Aen.* IX 641 legimus: *in pontificalibus sacrificantes dicebant deo macte hoc vino inferio esto,* cf. Arnob. VII 31. *operae pretium est etiam verba ipsa depromere, quibus cum vinum datur uti ac supplicare consuetudo est mactus hoc vino inferio esto.* in Iovis Dapalis comprecationis prioris v. 5 ut *hac* eicerem effecit posterioris v. 2.

Transeo ad Martis precationis similitudinem quandam. exstat enim apud Festum p. 210 glossa haec *pesestas inter alia quae inter precationem dicuntur, cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam, ut intellegi ex ceteris possit cum dicitur avertas morbem mortem labem nebulam impetiginem;* cui quae ratio sit cum Catoniana precatione vix intellegi potest; sed haud dubito quin e sacerdotum libris verba repetita sint. in hac igitur manifestissima longorum versuum vestigia apparent; nam quamvis non tradatur quem locum vox *pesestas* inter precationis verba tenuerit[1]), tamen suapte sponte hi prodeunt versus

. . . . | . . *avertas*
morbum mortem | labem nebulam
impetiginem | pesestatemque,

qui artissimo et rerum et rhythmicae rationis vinculo cum Martis comprecationis versibus 7 sqq. conectuntur.

Eundem apud Festum duobus praeterea locis singula hemistichia versus longi Italici leguntur, p. 309 *sub vos placo in precibus fere cum dicitur significat id quod supplico, ut in legibus transque dato et endoque plorato* et Paul. p. 190

---

hordeum, fabam, semen rapicium. ture vino Iano Iovi Iunoni praefato, priusquam porcum feminam immolabis. Iano struem ommoveto sic: Iane . . . meae. fertum Iovi ommoveto et mactato sic: Iupiter . . . ferto. postea Iano vinum dato sic: Iane . . esto; postea Iovi sic: Iupiter . . . esto. postea porcam praecidaneam inmolato ubi exta prosecta erunt, Iano struem ommoveto mactatoque item, uti prius obmoveris. Iovi fertum obmoveto mactatoque item, uti prius feceris. item Iano vinum dato et Iovi vinum dato, item uti prius datum ob struem obmovendam et fertum libandum. postea Cereri exta et vinum dato.

[1]) post *avertas* inserit Bouché-Leclercqius l. l. p. 74.

Digitized by Google

ob vos sacro in quibusdam precationibus est pro vos obsecro, ut sub vos placo pro supplico. sub vos placo et *ob vos sacro* iusta hemistichia sunt. videntur autem theses tunc maxime opprimi, cum summam et gravitatem ille qui precatur vult consequi.

Quae modo explicavi carmina Catoniana carminumque frustula in Festi antiquitatis penu servata nemo adhuc in iudicium vocaverat, idemque cadit in carmina duo Liviana. P. Deci dico precationem qua se ad Vesuvium montem devovit et Scipionis Africani in Africam proficiscentis preces. de P. Decio Livius VIII 9, 4 sqq. narrat haec: *in hac trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat. „deorum" inquit „ope, M. Valeri, opus est, age dum, pontifex publicus populi Romani, praei verba, quibus me pro legionibus devoveam." pontifex eum togam praetextam sumere iussit et velato capite manu subter togam ad mentum exserta super telum subiectum pedibus stantem sic dicere* — iam quae sequuntur precantis verba tali ratione numerum Italicum sequi iubeo: [1])

Iane Iupiter | Mars pater Quirine
Bellona Lares | divi Novensiles
di Indigetes divi | quorum est potestas
nostrorum hostiumque | diique Manes,
vos precor veneror | veniam peto
oroque uti populo | Romano Quiritium
vim victoriam | prosperetis
hostesque populi | Romani Quiritium
terrore formidine | morteque afficiatis.
sicut verbis | nuncupavi
ita pro re | publica [populi
Romani] Quiritium | exercitu legionibus
auxiliis populi | Romani Quiritium
legiones auxiliaque | hostium mecum
diis Manibus | Tellurique devoveo.

[1]) adnotatio critica selecta ex ed. Weissenb.: A = cod. Mediceus, C = cod. Parisinus.

5. 6 *peto oroque* Forchhammer *peto feroque* codd. 7 *victoriam* A Lovelianus 4 *victoriamque* cett. codd. 11. 12 *pro re publica* [*populi Romani*] *Quiritium* Gronovius, probavit nuper Cobetus *Mnemos. n. s.* X 1882 p. 102 *pro r. p. quiritium* A C all.

Digitized by Google

quae omnia cum ultro versibus hemistichiisque se accommódent, hac re a me optimo iure se pro specimine carminis [1]) haberi arguunt, neque vereor ne quis alliterationibus rarius obviis — sunt autem hae *Iane Iupiter, Duellona*[2]*) . . divi, di . . divi, vos precor veneror | veniam peto, vim victoriam, formidine adficiatis, publica populi, diis . . devoveo* — argumento contra me utatur; non enim potest iis abundare precatio illa, in qua certae res certis verbis nulla alliterationis cognatione coniunctis nominandae sint. denique precationis fides omni dubitatione exempta est; cum enim a Livio pontificis, qui verba praeierit, nomen ponatur et P. Decii se devoventis habitus accurate describatur, deinde c. 10, 11 sqq. iuris sacri de devotione praecepta exponantur, consentaneum est precationis carmen non ab annalium scriptoribus esse fictum [3]), sed una cum ritus descriptione e pontificum libris, ad quos tota haec religio pertinebat, esse desumptum [4]) neque puto diversum ab illo quod suis temporibus exstitisse Plinius *n. h.* XXVIII 12 testatur: *durat immenso exemplo Deciorum patris filiique quo se devovere carmen.* cum v. 6 conferendus est Paul. p. 67 *dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque populo Romano Quiritibusque quod est Curensibus, quae civitas Sabinorum potentissima fuit*, ubi paulo aliter ac nostro loco versus longus efficitur *populo Romano | Quiritibusque.*

Nec deest certum disputandi fundamentum in precatione P. Corneli Scipionis Africani, quam praebet Livius XXIX 27, 1 sqq. nam ne hanc quidem ficticiam esse facile tibi persuadebis, si ad rerum concinnitatem verborumque sollemnitatem diligenter attenderis. et cum hoc Livi caput recte a L. Kellero [5]) Coelio Antipatro assignatum sit, hunc vero Scipionis Africani

[1]) devotionis *carmen* Livius V 41, 3 memorat: *sunt qui M. Fabio pontifice maximo praefante carmen devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis tradant.*

[2]) antiquiorem nominis formam olim in carmine lectam esse per se intellegitur.

[3]) quales e. gr. finxerunt precationes Hersiliae Gell. XIII 23, 13 (e Cn. Gellii annali tertio) alliterationibus abundantem, Romuli fines templi Iovis Feretri designantis Liv. I 10, Coelitis ib. II 10, Camilli Veios aggredientis ib. V 21, L. Pinari ib. XXIV 38.

[4]) in hac sententia etiam Bouché-Leclercqium l. l. p. 162 esse video.

[5]) *Der zweite punische Krieg und seine Quellen.* Marburgi 1875 p. 112. 124.

Digitized by Google

maioris commentarios in historia belli Punici secundi componenda expilasse ab eodem[1]) et O. Gilberto[2]) demonstratum sit, apparet precationem de qua agimus ex his esse repetitam et re vera illam ipsam esse, qua Scipio praeeunte sine dubio verba pontifice usus sit, ut hoc quoque carmen sacerdotale artificium sit. iam F. Friedersdorffius[3]) huic carmini Saturnios versus[4]) subesse suspicatus est; sed praeterquam quod verborum ordinem varie mutavit, addere haud pauca debuit, ut versus consequeretur, alia autem quae in codicibus esse postea cognitum est nimirum desunt, ut tota res ex arbitrio pendeat. quod crimen non subire mihi videor si versus longos inesse carmini credo:[5])

---

[1]) p. 77—126. 189—192.

[2]) *Die Fragmente des L. Coelius Antipater* in *Annal. phil. nov. suppl.* X p. 392 sqq., cf. W. Sieglinus *Die Fragmente des L. Coelius Antipater* ib. XI p. 54.

[3]) *Livius et Polybius Scipionis rerum scriptores*, diss. Gotting. 1869 p. 37 sq.

[4]) nempe hosce:

[o] dívi dívaéque — [quí] mariá terrásque
colitis [caelúmque urbésque] — vós precór quaesóque,
uti quae ín meó império — gésta súnt geruntur
ea míhi popló plebique — Rómánae sóciis
et nómini látino — qui popli Románi
et qui méam séctam — imperium áuspiciúmque
terrá mari ámnibúsque — [ármis equísque]
secúntur béne verrúncent — eáque vós ómnia
bene ítivétis bonis — aúxitis aúctibus
salvós incólomésque — victis pérduéllibus
victórés decorátos — spoliis praéda onústos
triumphántes mécum dómos — réducés sistátis.
inimícorum hóstiúmque — cópiam ulcíscendórum
faxítis quaéque póplus — Cártháginiénsis
in civitátem nóstram — fácere est molítus ea út mihi
poplóque in civitátem — Cártháginiénsium
exémpla edéndi détis — [vím] facúltatémque.

facile in hanc suspicionem adduci poterat, quod multa saepe versus longi hemistichia ad similitudinem hemistichiorum Saturnii proxime accedunt, cf. Westphalius p. 40.

[5]) Liv. l. l.: *tum Scipio silentio per praeconem facto divi divaeque inquit qui . . . detis. secundum has preces cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit tubaque signum dedit proficiscendi.* — adnotatio critica ex editione Luchsiana selecta: P = cod. Puteanus sive Paris. 5730. H = cod. Harleianus 2684. V = cod. Vaticanus Palat. 876. R = consensus codicum: α = Lond. Burney 198, β = Lond. Harl. 2781, γ = Venet. Marc. 364,

Digitized by Google

divi divaeque
qui maria terrasque | colitis, vos precor
quaesoque uti quae | in meo imperio
gesta sunt geruntur | postque gerentur,
ea mihi populo | plebique Romanae
sociis nominique | Latino, qui [rem
publicam] populi | Romani quique meam
sectam imperium | auspiciumque
terra mari | amnibusque secuntur,
bene verruncent | eaque vos omnia
bene iuvetis, | bonis auctibus
auxitis, salvos | incolumesque
victis perduellibus | victores [. .]
spoliis decoratos | praeda onustos
reduces sistatis, | inimicorum hostiumque
ulciscendorum | copiam faxitis.
quaeque populus | Carthaginiensis
in civitatem nostram | facere molitus est,
ea ut mihi | populoque Romano
in civitatem | Carthaginiensem
exempla edendi | facultatem detis.

vides haec et ipsa rhythmi vincula sponte subire et demonstrare me non temere egisse. versus 6 sq. verba *rem publicam* in solo codice V (*publice rei* cod. H) verborum *populi Romani* loco servata iniuria Luchsius cum ceteris editoribus abiecit, cum codicis vestigia ostenderent scriptum olim fuisse *r̄. p̄. p̄. r̄.* i. e. *rem publicam populi Romani,* quod recepi; in versu autem 9 quod vocem *amnibus* recentiorum editorum plurimi pro spuria habuerunt, non magis huius suspicionis quam ceterorum tentaminum idonea causa reperitur. idem dicendum est de G. Land-

---

δ = Laurent. LXIII 17, ε = Laurent. ol. Abb. Flor. 263. F = cod. Florentinus Laurent. LXXXIX inf. 1.

4 *postque gerentur (geruntur* H*)* HVR, om. PF 6.7 *qui* [*rem publicam*] *populi Romani*] *qui populi r.* omnes codd. nisi quod *publice rei* H *rem publicam* V — 9 *mari amnibusque* libri, *marique* scripsit *amnibusque* autem in *omnibusque* mutavit et post *nominique Latino* inseruit Heldius *Observ. in diff. quosd. vet. script. locos* Suidnic. a. 1849; idem hoc proponit vel *amnibusque* in *omnibus* mutandum et post *secuntur* transponendum Madvigius *Em. L.* p. 422.

Digitized by Google

grafio[1]), qui vocem *montibus* inter *mari* et *amnibusque* inserit; inter eos enim scriptorum locos, quibus innititur, et precationis nostrae concepta verba nulla intercedit ratio. alliterationum numerus non parvus est: *divi divaeque, quaesoque . . quae, gesta . . geruntur . . gerentur, populo plebique, publicam populi, imperium auspiciumque, bene . . bonis, victis . . victores civitatem Carthaginiensem, exempla edendi.* versus 13 alterum hemistichium voce *victores* non expletur; quid exciderit ne divinando quidem assequi possumus.

A Livio pergo ad Macrobium et ipsum, si Ritschelium et Ribbeckium audis, feracem Saturniorum; nam quae apud eum III 9, 6 sqq. leguntur carmina evocationis et devotionis, ea Saturnio numero incedere Ritschelium fecisse testimonium, Ribbeckium demonstrare conatum esse supra dixi. sed profiteri coactus est vir doctissimus nunc non nisi frustula Saturniorum carminum elici posse.[2]) ut vero ad hanc sententiam accedam a

---

[1]) *De figuris etymologicis linguae latinae,* in *Actis Erlangens.* II p. 8 adn. 5 et p. 510 iterumque in *Annal. philol. nov.* CXXV 1882 p. 422 n 4, ubi sibi Luchsium et Dombartum adsentiri testatur. non fugit Landgrafium precationum sollemnium *quarum singula membra summa aequabilitate conformata alliteratione quasi vinculo quodam inter se conexa* essent *exemplum luculentissimum atque artificiosissimum precationis carmen Scipionis* esse p. 2).

[2]) in carmine evocationis:

sí dívos sí dívast — cui poplu' clvitásque
* * *
ille qui úrbis huius populique — túteldm recépisti
precór venerór veniámque - á vobis peto út vos
* * *
accéptiór probáti — órque sit, mihique
* * *
ita sí faxítis, vóveo - témpla mé fictúrum.

in carmine devotionis:

eas úrbés agrósque — cápita aetátesque eórum
* * *
eosque égo vicáriós pro — mé fidé magistrátu
* * *
nostris do dévoveo út me — meám fidem imperiúmque
legiónem exércitúmque — nóstrum qui in his rébus
gerúndis sunt, bene sálvos — siritis esse.
* * *
Tellus máter téque — Iúppiter óbtestor

Digitized by Google

me impetrare non possum [1]), quoniam talem verborum corruptionem, qualis versus Saturnios plerosque absorbuerit, ipsa carmina abnuunt: non repudiant versus longos Italicos, quos sic licet restituere in priore [2])

si deus si dea est
cui populus civitasque | Carthaginiensis
est in tutela, | teque maxime ille
qui urbis huius | populique tutelam
recepisti, | precor venerorque
veniamque a vobis | peto uti vos
populum civitatemque | Carthaginiensem
deseratis, | loca templa sacra
urbemque eorum | relinquatis,
absque his abeatis | eique populo civitati
metum formidinem | oblivionem [que]
iniciatis, | propitiique Romam
ad me meosque | veniatis,
nostraque vobis | loca templa sacra
urbs acceptior | probatiorque sit,
mihique populoque Romano | militibusque meis
praepositi sitis, | uti sciamus
intellegamusque: | si ita feceritis,
voveo vobis templa | ludosque facturum.

---

[1]) de Saturniis etiam Havetus l. l. p. 512 s. v. *si* et p. 493 s. v. *Dis pater* dubitavit.

[2]) Macrob. l. l.: *sed videndum ne quod nonnulli male aestimaverunt nos quoque confundat opinantes uno carmine et evocari ex urbe aliqua deos et ipsam devotam fieri civitatem. nam repperi in libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni utrumque carmen, quod ille se in cuiusdam Furii vetustissimo libro repperisse professus est. est autem carmen huius modi quo di evocantur cum oppugnatione civitas cingitur: si deus ... facturum. in eadem verba hostias fieri oportet auctoritatemque videri extorum, ut ea promittant futura.* —

adnotatio critica. P = cod. Parisinus. B = cod. Bambergensis.
11 *oblivionem[que] que* addidi 12 *propitiique* scr. cum Huschkio *Iurispr. anteiust.*[4] p. 12 adn. 1 *proditique* BP vg. 17 post *praepositi sitis* Huschkius l. l. adn. 2 inserit *idque faciatis extis.*

Digitized by Google

in altero[1]):

Dispater Veiovis Manes
sive quo alio nomine | fas est nominare,
ut omnes illam | urbem Carthaginem
exercitumque quem me | sentio dicere
fuga formidine | terrore conpleatis,
quique adversum legiones | exercitumque nostrum
arma telaque | ferent, uti vos
eum exercitum | eos hostes
eosque homines | urbes agrosque
eorum et qui | in his locis
regionibusque agris | urbibusve habitant
obducatis, lumine | supero privetis,
exercitumque hostium | urbes agrosque
eorum quos me | sentio dicere,
uti vos eas | urbes agrosque
capita aetatesque | eorum devotas
consecratasque | habeatis
ollis legibus | quibus quandoque
hostes maxime | sunt devoti.
eosque ego vicarios
pro me [meaque] fide | magistratuque meo
pro populo Romano | exercitibus
legionibusque nostris | do devoveo,
ut me meamque fidem | imperiumque
legiones | exercitumque nostrum
qui in his rebus | gerendis sunt

---

[1]) Macrob. l. l. 9 sqq.: *urbes vero exercitusque sic devoventur iam numinibus evocatis, sed dictatores imperatoresque soli possunt devovere his verbis: Dispater . . . obtestor. cum Tellurem dicit, manibus terram tangit: cum Iovem dicit, manus ad caelum tollit: cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.* —

adnotatio critica.

4 *quem ego me* codd. *ego* delevi 12 *obducatis* scr. cum Huschkio l. l. adn. 4. *abducatis (abdicatis P)* B 16 pro *capita aetatesque* Huschkio l. l. adn. 5 legendum videtur *habitatoresque* 19 *hostes maxime sunt devoti* scr. *sunt maxime hostes devoti* codd. vg. 21 [*meaque*] addidi 27 *restituendum opinor salvos servetis, nam quod si sequitur, facile esse potuit adglutinari ex utroque* Bücheler *Annal. philol. nov.* CXI 1875 p. 340 = *Umbrica* p. 83. 32 ante *Tellus* Huschkius l. l. adn. 6 *te* supplet.

Digitized by Google

bene salvos | siritis esse.
si haec ita faxitis
ut ego sciam sentiam | intellegamque
tunc quisquis hoc votum | faxit ubi faxit,
recte factum esto | ovibus atris tribus.
Tellus mater teque | Iupiter obtestor.

in carmine evocationis praeter voculam *que* in v. 11 additam nulla mutatione opus erat, in carmine devotionis levi manu versatus *ego* uncis inclusi (v. 4) cll. v. 14 et *meaque* addidi (v. 21) cll. v. 24 flagitante utrumque hemistichiorum ratione, qua adductus v. 19 verborum ordinem mutavi. Huschkii ut pleraque arbitraria visa sunt, ita verborum *idque faciatis extis* ne sensum quidem assecutus sum. Büchelerus autem, qui verba *bene salvos siritis esse* Umbrorum *salvo seritu* = *salvom servaveris* similibusque Italorum precationibus, ubi deos rogant ut hunc illumve salvum servent, adaptare studet, non codicum scripturam, sed ipsum carmen emendasse videtur. alliterationes in altero carmine insunt *deus . . dea, civitasque Carthaginiensis, tutela teque, veniamque . . vobis . . vos, civitatemque Carthaginiensem, urbemque eorum, absque . . abeatis, me meosque, urbs acceptior, militibusque meis, voveo vobis;* in altero *nomine . . nominare, omnes illam urbem, fuga formidine, eum exercitum, urbes agrosque* (ter), *agris urbibusve, aetatesque eorum, quibus quandoque, eosque ego, me* [*meaque*], *magistratuque meo, do devoveo, me meamque, salvos siritis, sciam sentiam, faxit . . faxit, ovibus atris, Tellus . . teque.* quaerendum nunc est de carminum origine. cum desumpta ea esse ex libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni Macrobius dicat [1]), ille autem se in cuiusdam Furii vetustissimo libro utrumque carmen repperisse professus sit, hic Furius quis fuerit scire maximi momenti est. coniecit Martinus Hertzius [2]) eum esse L. Furium Philum cos. 618/136; et

[1]) ipsis Sammonici libris Macrobius non usus esse videtur, sed Sammonici compilatori cuidam sua debet. cf. G. Wissowa *Analecta Macrobiana* in *Herm.* XVI p. 502 sqq.

[2]) *Annal. philol. nov.* LXXXV 1862 p. 53 sq.; cf. de eo Teuffelius *Lit. rom. hist.*[4] § 131, 6. Huschkius l. l. p. 11 adn. 3 A. Furium Antiatem annalium poetam intellegere mavult.

Digitized by Google

vide quam bene Scipionis Africani minoris familiari memoria conveniat carminum eorum, quibus Carthaginiensium dii evocati sint et urbs ipsa devota: nempe e Scipionum commentariis domesticis Furius carmina illa a pontificibus[1]) ad delendam urbem Carthaginem concepta quae apud Macrobium legimus deprompsit.[2]) id tamen diiudicari nequit utrum Africani maioris an minoris usui inservierint, neque refert id exploratum habere, cum verborum fidem munivisse sufficiat.

Sed hic subsistam. effecisse me opinor sacerdotes publicos populi Romani precationum carmina vetere numero Italico formasse. iam cum novae quaestioni relinquatur investigare, num eundem semper morem secuti sint, id unum adiciam apud Servium *Aen.* VIII 72 precationis particulam legi quae manifesto Saturnium rhythmum prae se ferat: *sic enim invocatur in precibus adésto Tiberíne-cúm tuís úndis.* hanc vero cum sollemnibus sacerdotum precibus comparari non posse ipsa verba ostendunt, quae adeo ab illarum usu abhorreant, ut facile credamus poetico ingenio haec tribuenda esse: itaque e Naevi bello Punico huc delata esse crediderim.

---

[1]) verisimile est etiam in eorum libris eadem carmina scripta fuisse. cf. Plin. *n. h.* XXVIII 18 *Verrius Flaccus auctores ponit quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem aut ampliorem apud Romanos cultum. et durat in pontificum disciplina id sacrum constatque ideo occultatum in cuius dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* cf. H. Linkius *Quaestt. de Macrobii Saturnal. fontibus* diss. Vratisl. 1880 p. 36 sq.

[2]) non recte igitur Büchelerus *Umbr.* p. 102 dicit carmina non tantam prae se ferre quantam Sammonicus professus sit vetustatem; verborum sane formae antiquae mutatae sunt, remansit carminum pristina compositio.

Digitized by Google

DE HERACLIDE PONTICO ETYMOLOGIARUM SCRIPTORE ANTIQUISSIMO

SCRIPSIT

LEOPOLDUS COHN

In Orionis Thebani quod aetatem tulit Etymologico quattuor locis Heraclidem Ponticum laudatum videmus.[1] *περὶ ἐτυμολογιῶν* vel *ἐτυμολογίας* huius auctoris librum inscriptum fuisse ex aliis Etymologicis, in quae Orionis glossarium transiit, cognovimus. multis enim locis Etymologica Magnum et Gudianum et Zonaras cum alia tum fontium indices melius et accuratius servarunt quam unus ille Orionis liber manuscriptus quem in editione sua expressit Sturzius. sic etiam Heraclidae Pontici etymologiarum liber denotatur cod. Paris. 2630 s. v. *ἀρετή*[2] et s. v. *ἀχλύς*[3], ubi solum nomen scriptoris apud Orionem servatum est. itaque omnes Orionis loci, quibus Heraclides vel cognomine Pontici vel libri titulo omisso laudatur, ad Heraclidae Pontici librum *περὶ ἐτυμολογιῶν* iure sunt referendi.[4] sunt autem praeter quattuor illos undeviginti.[5] his accedunt non nulli quos ab Orione ex Heraclidae libro delibatos esse testantur alia

---

[1]) Or. 19, 15 *ἀχλύς*; 49, 22 *δέσποινα*; 118, 17 *ὀβολός*; 118, 29 *οὐρανός*.

[2]) exc. ap. Sturz. Et. Or. 185, 26 *ὁ δὲ Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογίας*.

[3]) ibid. 186, 10 *οὕτως Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ ἐτυμολογιῶν*.

[4]) eximendus est unus locus Et. Or. 54, 1 *εὐράξ* (*οὕτως Ἡρακλείδης ἐν τῷ περὶ δυσκλίτων ῥημάτων*); is enim ad Heraclidem Milesium pertinet, de quo disseruit Guilelmus Frye *Stud. Lips.* VI 93 sqq. et nuper ego in commentatione *de Heraclide Milesio grammatico* Berol. 1884.

[5]) Or. 1, 8 *ἀρετή*; 47, 9 *δικαιοσύνη*; 83, 30 *κολυμβᾶν*; 93, 22 *λαιμός*; 95, 29 *λίχνη*; 100, 30 *μασχάλη*; 109, 6 *νότος*; 119, 3 *ὀπώρα*; 132, 25 *πυραμίς*; 133, 1 *πονηρός*; 146, 34 *σύριγξ*; 147, 1 *σπάδων*; 147, 3 *σελήνη*; 147, 5 *σκότος*; 147, 10 *σκιά*; 147, 12 *σάρκα*; 156, 8 *ὕαλος*; 156, 11 *ὑμήν*; 170, 6 *ὦτα*.

Digitized by Google

Etymologica auctoris nomine servato, ubi hoc in Orionis glossario librariorum neglegentia excidit. qua ratione Heraclidae Pontico reddenda sunt haec Orionis vocabula: 35, 10 *βράγχος* (coll. Et. Gud. 106, 9 Sorb. Angel. *οὕτως Ἡρακλείδης ἐν ταῖς ἐτυμολογίαις αὐτοῦ*); 83, 19 *κάμηλος* (coll. Et. Gud. 295, 48 Sorb. Paris. 2610 *οὕτως Ἡράκλειτος* i. e. *Ἡρακλείδης*); 129, 18 *παρίσθμια* (coll. Et. Mg. 654, 2 *οὕτως Ἡρακλείδης*); 132, 15 *πωλεῖσθαι* (coll. Et. Flor. Miller *Mélanges* p. 259 *οὕτως Ἡρακλείδης*); 133, 16 *πόσις* (coll. Et. Flor. Mill. p. 251 *οὕτως Ἡρακλείδης*); 134, 10 *παρθένος* (coll. Et. Mg. 654, 49 *Ἡρακλείδης*); 160, 11 *φερνή* (coll. Et. Gud. 551, 6 Sorb. *οὕτως Ἡρακλείδης*); 170, 8 *ὠχρος* (coll. Zonar. p. 1898 Et. Flor. Mill. p. 318 *οὕτως Ἡρακλείδης*). denique duo vocabula Heraclidea in Orionis Etymologico prorsus evanuerunt, *βραχύς* et *ῥόμμυον*. s. v. enim *βραχύς* Et. Mg. 211, 43 haec exhibet: *βραχίς· κατὰ τροπὴν τοῦ λ εἰς ρ* (rectius Sorb.: *καὶ τὴν τοῦ ρ πρὸς τὸ λ κοινωνίαν*)· *παρὰ γὰρ τὸ ἀποβεβλῆσθαι μέρος καὶ ἐλάσσονα γενέσθαι εἴρηται. οὕτως Ἡρακλείδης, ὡς φησιν Ὦρος*. pro *Ὦρος* sine dubio *Ὡρίων* scribendum est; nam Heraclidae Pontici etymologias ad unum omnes Etymologica acceptas referunt Orioni. alter locus est Et. Mg. 540, 2 *ῥόμμυον· παρὰ τὸ τὰς κόρας μύειν τῶν ἐσθιόντων αὐτό, ὁρμὴ γάρ*: quem coll. Et. Gud. 348, 25 Havn. Flor. Mill. p. 196 (*οὕτως Ἡρακλείδης*) et Heraclidae et Orioni restituendum esse apparet. sed ne sic quidem Heraclidae fragmentorum numerus expletus est, multo enim plura ex illius libro descripsit Orio. iam ad investigandas ut ceterorum Orionis auctorum ita Heraclidae etymologias certam viam commonstravit H. Kleistius *de Philoxeni stud. etym.* p. 15 sqq. qui certo quodam ordine auctores quosdam librosve ab Orione in una quaque littera adhibitos esse luculenter comprobavit. seriem autem qua fons fontem excipiat hanc esse statuit: initio singularum litterarum compilavit Orio commentarios in poetas, inprimis ad Homerum scriptos, sequuntur deinceps excerpta e Sorani medici simul et grammatici libro *περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου*, ex Herodiani libris *περὶ παθῶν* et *περὶ ὀρθογραφίας*[1]), ex Heraclidae libello *περὶ ἐτυμολογίας*, e Philoxeni libris *περὶ μονοσυλλάβων* aliisque. finem faciunt Herodiani *συμπόσιον* et *ἐπιμερισμοί*. itaque fundamentum habemus firmissimum ad Orionis glossarium in partes suas distrahendum eiusque fontes

[1]) cf. A. Lentz *ann. philol.* XCI 571. *Herod. praef.* p. CCVIII sqq.

Digitized by Google

auctoresve ita indagandos, ut sua cuique auctori restituantur. ac de Philoxeni apud Orionem fragmentis ipse Kleistius egregie disseruit. tum nuper de Sorano scripsit P. Voigtius (*Sorani Ephesii liber de etymologiis corporis humani quatenus restitui possit.* Gryphisw. 1882). iam equidem hac scribendi opportunitate data de Heraclidae Pontici etymologiarum libello ex Orione restituendo non nulla disputare constitui.

Praemittendum duco non tam facilem rem esse Heraclidae quam Philoxeni et Sorani. nam Philoxeni fragmentorum fines circumscribere, si artem illius etymologicam a Kleistio explanatam perspexeris, non est adeo difficile; et Sorani etymologiae cum e materia vocabulorum tum e consensu Orionis et Meletii non minus facile cognoscuntur. in Heraclide cum eius modi subsidia desint, magis coniectandi via procedendum videtur, praesertim cum ordo glossarum apud Orionem haud raro sit turbatus (cf. Kleist. l. l. p. 25 sqq.). sed tamen normis quibusdam ne hic quidem destituti sumus, quibus ne prorsus erremus uti licet atque oportet. etymologias Heraclidae nomine notatas diligenter mihi consideranti et genere dicendi et explicandi ratione scriptor ab aliis etymologis haud parum differre videtur. genus dicendi, ut breviter dicam, non est grammaticum. utitur Heraclides onomatopoeia ad vocabula quaedam explicanda [1]), utitur etiam similitudine et propinquitate litterarum quarundam, ut $\overline{\lambda}$ et $\overline{\varrho}$, $\overline{\varkappa}$ et $\overline{\chi}$.[2]) sed terminos illos et formulas, quibus abunde grammatici in verborum derivatione uti solebant, apud Heraclidem frustra quaeres. notissima sunt in arte etymologica veterum grammaticorum illa *παθη τῆς λέξεως*, quibus etyma verbòrum indagare et vocabulorum mutationes explicare solebant. quorum cognitionem ab omni etymologo poscit Proclus *comment. ad Plat. Cratylum* (Bekk. *An. Gr.* 1164, 1): *ἕκτον δεῖ αὐτὸν εἰδέναι καὶ τὰ πάθη τῶν λέξεων οἷον ἀποκοπάς, συγκοπάς, ἐλλείψεις, πλεονασμούς, συναλοιφάς, ἀφαιρέσεις, συνιζήσεις καὶ τὰ τοιαῦτα.* at vero in Heraclidae Pontici apud Orionem fragmentis illa *παθῶν* nomina nusquam fere reperiuntur nec magis vocabula *πρωτότυπον παραγωγή*, quibus primigenia et derivationes a grammaticis signi-

[1]) cf. s. v. *βράγχος· ὀνοματοπεποίηται ἡ λέξις οἷον κατὰ μίμησιν τῆς γινομένης αὐτῷ τραχύτητος ἐν τῇ φωνῇ.* s. v. *σύριγξ· κατὰ μίμησιν τοῦ ἀποτελουμένου ἤχου.*

[2]) cf. *βραχύς* (v. sup.). — *κάμηλος· κάμηρός τίς ἐστιν.* — *δικαιοσύνη· ... δικαιοσύνη τις οὖσα.*

Digitized by Google

ficantur. atque cum hac forma fragmentorum ratio explicandi notiones verborum artissime cohaeret. ceteri etymologi et grammatici formas praecipue vocabulorum explanantes viam quodam modo demonstrant, qua vocabulum aliquod sive flexu sive mutationibus illis quas passiones (*πάθη*) vocabant ex vocabulo sit natum. Heraclides vero non tam vocabulorum formas quam notiones explicare studuit et qua de causa vocabulum quodque sit nominatum quaesivit. v. gr. *ἀχλύς· ἀπὸ τοῦ τὰς ὄψεις ὀχλεῖν καὶ λυπεῖν. — μασχάλη· ἀπὸ τοῦ μαστεύειν τι ὑπ' αὐτήν, ἐπειδὴ οἱ ὑφαιρούμενοι ὑπ' αὐτὴν κρύπτουσιν. — παρθένος· ἡ παρ' οὐδενὸς οὐδὲν λαβοῦσα εἰς ἔδνα. — ὑμήν· ὑφήν τίς ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ὡς ὕφασμα εἶναι λεπτὸν ὑμένα.*

Quae si recte disputavimus, in Heraclidae Pontici etymologiis eruendis primum respiciendus est locus (scilicet pleraque Heraclidea inter Herodiani et Philoxeni fragmenta reperiuntur), tum vero et dicendi et explicandi genus. his rationibus adhibitis quatenus Heraclidae libellus *περὶ ἐτυμολογιῶν* restitui possit exemplis quibusdam illustrare libet. in *K* duas Orionis glossarium exhibet etymologias Heraclidae nomine instructas 83, 19. 30 *κάμιλος. κολυμβᾶν.* verum etiam quattuor illa vocabula quae inter *κάμιλος* et *κολυμβᾶν* exstant *(κεραυνός. κόσμος. κανοῦν. κρίος)* ex Heraclide hausta esse facile apparet. quod idem cadit in *Σ* litteram, ubi cum locis quinque deinceps Heraclides laudetur 147, 1—13 (*σπάδων. σελήνη. σκότος. σκιά. σάρκα*) et praeterea 146, 34 (*σίριγξ*), vocabula inter *σίριγξ* et *σπάδων* interiecta *σείριος. σπάθη* sine dubio eidem tribuenda sunt. nec vero eas quae vocabulo *σίριγξ* praecedunt notationes 146, 29—32 (*σπόνδυλος. στέαρ. σκελετός*) Heraclides Orioni non videtur suppeditasse. — confidenter etiam in *N* procedere licet, ubi Heraclideam seriem habemus post Herodiani *περὶ ὀρθογραφίας* 108, 26 et ante Philoxeni 109, 21 mentionem factam. praetermisso vocabulo *νήφω* 108, 29 (quod ex Apollonio fluxit coll. cod. Paris. 2610. 2630) omnes undecim notationes 108, 32—109, 17, quarum in medio positum est vocabulum *νότος* Heraclidae nomine denotatum, Heraclidae reddendas esse censeo: *νάρθηξ. νωθρός. νωχελής. νέκυς. νότος. νῆξ. νέος. νεοῦν.* [*νοῦς*].[1]) *νεῦρον. νόσφι.* — in *II*

[1]) in voce *νεῦρον* duae glossae librarii errore in unam coaluerunt: desunt explicatio vocis *νεῦρον* (explenda ex Et. Mg. 601, 38) et lemma *νοῦς*, ad quod pertinet explicatio. v. Sturz. ad h. l.

Digitized by Google

Orio sex Heraclidae testimonia exhibet: 129, 18. 132, 15. 25. 133, 1. 16. 134, 10 (*παρίσθμια. πωλεῖσθαι. πυραμίς. πονηρός. πόσις. παρθένος*). quorum primum et ultimum ad alia in hac littera Heraclidae frustula investiganda adhiberi nequeunt; nam *παρίσθμια* vocabulum ad Soranum pertinet, ex quo Heraclidae quoque explicationem Orio descripsit (cf. Melet. Cram. *An. Ox.* III 85, 15); vox *παρθένος* in serie exstat Philoxeni, cuius derivationi Orio Heraclidae interpretationem subiecit (cf. Et. Mg. 654, 49). itaque inter vocabula *πωλεῖσθαι* et *πόσις* vel quae ab his proxime absunt Heraclidae fines continentur. iam quae inter *πωλεῖσθαι* et *πυραμίς* (*πόλοι. πῆχυς. πένης. πλούσιος. πεσεῖν. πεσσός*) quaeque inter *πονηρός* et *πόσις* (*πρέσβεις. πῦρ. πάπτηος. πρωί* — secludenda sunt *πρεσβεύω. παῖς* —) exstant Heraclidae deberi satis liquido apparet. quibus addendas putaverim notationes quae subsequuntur *πρωΐξ· τετέρνα. πορεία.* (*πρωΐκτης*?) *πρόνοια. προπετής.* — in *Φ* Heraclides compilatus est 160, 11 (*φερνή*): praeter hanc vocem Heraclides et proxime antecedentes (*φθείρ. φρόνησις*) et succedentes (*φωνή. φώς. φόνος. φύσις*) Orioni suppeditasse mihi videtur. — in *E* Heraclidae testimonium nullum exstat. sed cum Herodianus *περὶ ὀρθογραφίας* 57, 26 et *περὶ παθῶν* 57, 31 citetur et Philoxeni series inde a verbo *ἐξέτρω* 59, 5 incipiat, efficitur frustula Heraclidea esse inter 58, 1 et 59, 4. in his vero 58, 14 Didymus *ἐν τῷ περὶ ποιητῶν* laudatur et vocabula *ἐπιστάτης. εὐώνυμος* (fortasse etiam *εὐδία*) e commentariis videntur petita. iam igitur Heraclidae reddenda existimo quae proxime sequuntur vocabula 58, 21—29 (*εὐφρόνη. ἑσπέρα. ἐλπίς. ἕρπυλος. εὐνοῦχος*), quae ad illius rationem optime quadrant, dubitanter dumtaxat quae restant 59, 1. 2 (*εἶρα. ἕωλον*). sed haec satis sunto: nolo enim hic totam rem absolvere, quoniam et locus et tempus deficit.

Alteram eamque gravissimam quaestionem breviter attingam, quisnam fuerit ille Ponticus Heraclides. vulgo quidem putatur esse Heraclides Ponticus Didymi discipulus, qui Claudii et Neronis Caesarum temporibus Romae floruit.[1]) quam opinionem veram esse nullo pacto credere possum. ac primum quidem de grammaticis scriptis illius nihil accepimus, si quidem Laertius

[1]) de F. Osanni et aliorum sententia, qui Heraclidem Ponticum cum Heraclide Milesio confuderunt, cf. quae dixi *de Heraclide Milesio* p. 3 sq.: ibidem quid de hac re sentiam breviter iam significavi.

Digitized by Google

Diogenes (V 93) et Suidas nisi poetica ab eo composita esse non tradiderunt. sed etiamsi illum non modo grammaticum fuisse verum etiam scripsisse libros grammaticos concedamus, tamen Heraclidae libellum *περὶ ἐτυμολογιῶν*, Orionis fontem, a Pontico illo minore compositum esse negemus. grammaticum qui Alexandriae Didymum audiverit tales effinxisse etymologias omni caret probabilitate. grammaticum primi post Christum saeculi de verborum derivatione scripsisse tota illa passionum doctrina neglecta vix ac ne vix quidem credo. nimirum scriptor libelli *περὶ ἐτυμολογιῶν* nec fuit grammaticus et pathologiam illam, qua tota Alexandrinorum et posteriorum ars grammatica continebatur, omnino ignoravit. in veterum arte etymologica duae distinguendae sunt rationes, una ab antiquioribus etymologis adhibita, quam philosopham dixeris, altera quam Alexandrini et posteriores plerique exercebant. etymologi antiquissimi, qui idem philosophi erant (a philosophia enim primordia duxisse et initio cum illa coniuncta fuisse studia etymologica constat), unde et quibus de causis appellata essent singula vocabula quaerebant et sic rerum appellationes congruere cum rebus ipsis demonstrare conabantur. posteriores cum formas vocabulorum spectarent, simplicissimam et primigeniam formam (*πρωτότυπον*, *ἔτυμον*) unde vocabulum esset derivatum indagare studebant et rationes mutationesque (*παραγωγαί*) declarabant quibus vocabula e primigeniis essent orta.[1]) illi igitur verborum origines et notiones explicabant, hi derivandi rationes docebant. quodsi Heraclidae Pontici etymologias perlustraveris, ad priorem illam rationem quin referendae sint non dubitabis. quae a scriptoribus posteriorum temporum nisi a philosophis (Stoicis Pythagoricis Neoplatonicis) non est adhibita. grammaticum vero et Didymi discipulum praetulisse illam et prorsus neglexisse alteram ut concedam adduci non possum. itaque ab Heraclide Pontico poeta et grammatico ultro traducimur ad Heraclidem Ponticum philosophum Platonis discipulum atque hunc re vera opusculi *περὶ ἐτυμολογιῶν* scriptorem et Orionis auctorem fuisse aliis etiam argumentis firmari potest.[2]) explicandi genus quasi

[1]) cf. Gräfenhan *Gesch. der klass. Philol. im Altert.* I 152.

[2]) unus quod sciam Deswertius (*dissert. de Heraclide Pontico* p. 115) librum *περὶ ἐτυμολογιῶν* Heraclidae philosopho vindicavit, sed ad eum quattuor tantum fragmenta referenda duxit: *ἀρετή. ἀχιλ̃ς. δέσποινα. σκότος.*

Digitized by Google

digitis monstrare scriptorem philosophum ex eis quae supra diximus facile intellegitur. Heraclidae scripta philosopha vel ad Ethicen vel ad Physicen pertinebant: quid? si in plurimis Heraclidae fragmentis ab Orione servatis vocabula explicantur ad res physicas vel ethicas pertinentia — amabant enim philosophi etymologiis verborum confirmare doctrinas suas quas habebant de rerum natura et de vita constituenda —: exempla rem illustrabunt. *ἀρετή· . . . ὁ δὲ Ἡρακλείδης κατὰ μετάθεσιν (τῶν) στοιχείων ἐρατή τις οὖσα, ἡ ἐπέραστος κτῆσις. — πονηρός· κυρίως ὁ περὶ πόνους ἀναστρεφόμενος, ὥσπερ μοχθηρὸς ὁ περὶ μόχθους. ἀπὸ δὲ τοῦ σώματος ἐπὶ τὴν διάνοιαν μετετέθη, ὁ τῇ διαθέσει κενός. οὕτως Ἡρακλείδης. — νότος· ὁ ἄνεμος, ἀπὸ τοῦ νοτεῖν καὶ τῆς νοτίδος. αὕτη δὲ ἡ νοτὶς ἀπὸ τοῦ νεῖσθαι. οὕτως ὁ Ἡρακλείδης. — *νοῦς· παρὰ τὸ νεῖσθαι, ὁ πανταχόσε κινούμενος καὶ ἐπὶ πάντα προϊὼν ἐν ἡμῖν. τί γὰρ ὀρμητικώτερον νοῦ; — *πόλοι· οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ· παρὰ τὸ περὶ αὐτοὺς ἀναστρέφεσθαι τὸν κόσμον, τουτέστι τὸν οὐρανόν. — οὐρανός· ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν καὶ φυλάττειν πάντα . . . Ἡσίοδος· Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ Οὐρανὸν ἀστερόεντ', ἵνα μιν πέρι πάντα καλύπτοι* (*Theog.* 126). haec ferme Stoicorum sapientiam redolere adnotavit Osannus (*Quaest. Hom.* part. III, Giss. 1853). sed ne ab Heraclide quidem aliena esse hoc Ciceronis testimonium declarat *de nat. deor.* I 13, 34: *ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros et modo mundum tum mentem divinam esse putat: errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et eius formam mutabilem esse vult: eodemque in libro rursus terram et caelum refert in deos.* — ne quis autem miretur quod Platonicus philosophus de etymologiis scripsit. ipse enim Plato, cum in Cratylo multa et sua et aliorum conamina etymologica facete illuderet, minime artem etymologicam prorsus inutilem censuit, sed etymologias haud paucas bene inventas existimasse videtur, id quod vel inde apparet quod certas quasdam rationes statuit vocabula explicandi et derivandi (*Crat.* 393 D. 394 B. 399 A. 414 D.).[1]) et Heraclides magistri vestigia secutus plane

---

deinde *ὀβολός. οὐρανός* eidem scriptori tribuit, cetera Heraclidae apud Orionem testimonia utrum ad Ponticum philosophum pertinerent an ad alium eiusdem nominis grammaticum dubitavit (p. 178).

[1]) cf. Steinthal *Gesch. der Sprachw. b. d. Griech. u. Röm.* p. 96 sqq.

Digitized by Google

eisdem rationibus usus est. nec desunt in Heraclidae fragmentis cum Platonis Cratylo similitudines. *σελήνην* Heraclides appellatam esse docet *διὰ τὸ σέλας ἀεὶ νέον ἔχειν*: similia de luna Socratem dicentem facit Plato *Crat.* 409 B. non nunquam Heraclides dialectos ad vocabula explicanda adhibuit. v. gr. *κολυμβᾶν· ἐτυμότερον Ἰωνιεῖς λέγουσι κολυφᾶν.* — *σάρκα· ἐτυμοτέρως λέγουσιν Αἰολεῖς σίρκα, παρὰ τὸ ἀποσύρεσθαι τὸ δέρμα ἀπ' αὐτῆς.* hoc idem commendaverat Plato *Crat.* 401 C *καὶ ἐάν τις τὰ ξενικὰ ὀνόματα ἀνασκοπῇ, οὐχ ἧττον ἀνευρίσκεται ὃ ἕκαστον βούλεται κτλ.* 408 E *ἔοικε τοίνυν κατάδηλον γενόμενον ἂν μᾶλλον, εἰ τῷ Ἰωνικῷ τις ὀνόματι χρῷτο.* Aristoteles porro condiscipulus et aequalis Heraclidae ne ipse quidem *τὸ ἐτυμολογεῖν* aspernatus passim in libris suis etymologias adhibuit vel ab ipso vel ab aliis inventas[1]) et vocem *κρόμμυον* plane eadem ratione explicavit (*Probl.* 20, 22 p. 925 a 28) qua Heraclides Ponticus (v. supra).[2]) iam vero Academicos et Peripateticos vocabulis explicandis et arti etymologicae exercendae ac perficiendae singularem dedisse operam clare planeque testatur Cicero *Acad. post.* I 8, 32 his verbis: *verborum etiam explicatio probabatur* (scil. Academicis et Peripateticis) *id est qua de causa quaeque essent ita nominata, quam ἐτυμολογίαν appellabant; post argumentis quibusdam et quasi rerum notationibus utebantur ad probandum et concludendum id quod explanari volebant.* quo testimonio luculentissimo omnem si quae restabat de scriptore libri *περὶ ἐτυμολογιῶν* dubitationem sublatam et sententiam nostram optime confirmatam esse speramus. itaque a Stoicis primum etymologiam esse tractatam et vocabulum *ἐτυμολογία* inventum perperam suspicatus est Steinthalius (l. l. p. 323)[3]): Stoici tantummodo rem ab Academicis (et Peripateticis) incohatam continuabant et promovebant.

---

[1]) cf. Bonitzii *ind. Arist. s. v. Etymologiae.*

[2]) cf. Arist. *Eth. Nic.* V 4, 9 p. 1132 a 30 et Heracl. *ap. Or.* 47, 9 *δικαιοσύνη.*

[3]) quod idem coniecit definitionem vocis *ἐτυμολογία* a scholiastis Dionysii Thracis prolatam (Bekk. *An. Gr.* II 740) a Stoicis originem duxisse, hoc illi concesserim. alteram definitionem cod. Paris. 2610 exhibet (ap. Sturz. Et. Or. 173, 1): *ἐτυμολογία ἐστὶ τὸ ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ πράγματος ὀνομασίας εὑρίσκειν τὴν ἑρμηνείαν καὶ τὸ διὰ τί οὕτως ὀνομάζεται· οἷον εἰ λέγω, Θεὸς λέγεται διὰ τὸ θεωρεῖν τὰ πάντα.* quae cum ad verba Ciceronis proxime accedat, nescio an ab Academicis sit profecta.

Digitized by Google

Opusculum *περὶ ἐτυμολογιῶν* in catalogo Heraclidae Pontici librorum a Laertio Diogene (V 86 seqq.) tradito non memoratur. sed ex eodem catalogo cum alia opera grammatica tum *περὶ ὀνομάτων* scripsisse Heraclidem cognovimus. ac si quis libellum *περὶ ἐτυμολογιῶν* eundem esse coniecerit quem *περὶ ὀνομάτων* Diogenes nuncupavit, equidem non vehementer refragabor: fieri enim potuit ut quem librum Heraclides inscripserat *περὶ ὀνομάτων*, eum posteriores grammatici parum accurate cum titulo *περὶ ἐτυμολογιῶν* laudarent. utcunque se ea res habet, primum Graecorum de etymologiis peculiarem libellum scripsisse Heraclidem Ponticum philosophum, hoc satis demonstrasse mihi videor.

Cervimontii, ex officina typographica ‚Bote aus dem Riesengebirge'.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cervimontii,
la Officina typographica „Hot“ aus dem Riesengebirge“.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google